90/875

Zoo

£390

2894

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/commentatiohisto00schm

COMMENTATIO HISTORICA
DE
CORONIS,
TAM ANTIQVIS, QVAM MODERNIS IISQVE REGIIS.
SPECIATIM
DE
ORIGINE ET FATIS
SACRAE, ANGELICAE ET APOSTOLICAE
REGNI HVNGARIAE CORONAE,

CVM FIGVRIS AENEIS, INDICEQVE AC ALLEGATIS NECESSARIIS.

AVCTORE
MARTINO SCHMEIZEL,
CORONA-TRANSILVANO SAXONE.

JENAE,
Apud JOH. MARTIN. GOLLNERVM.
Typis GOLLNERIANIS, MDCC XII.

CIVITATIS
CORONENSIS,
QVAE IN TRANSILVANIA EST,
PROCERIBVS
ET
PRIMICERIIS
Inclutis atque Graviſſimis,

VIRIS

GENEROSIS, SPECTABILIBVS,
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, INTEGERRIMIS ET CIRCVMSPECTIS,

Dominis, Patronis, Mæcenatibus,
Evergetis, Fautoribus & Amicis,

Summo honoris & obſequii cultu ſuſpiciendis,

Hanc in Otio Academico natam
DE CORONIS
Commentationem

Sacram eſſe vult

AVCTOR.

INCLVTI PROCERES

PATRONI MAXIMI.

ANnus nunc, quæ DEI Gratia eſt, decimus & tertius labitur, ex quo relicto natali ſolo, in exteris oris Doctrinæ Artiumve bonarum cauſa conſtitutus, peregrinas haurio auras. Quo toto temporis intervallo, omnium & ſtudiorum, & itinerum per mare & terras ſuſceptorum metam, hanc unice propoſitam ſemper habui, ſumma animi contentione, omnibusque ingenii nervis, in ea incumbere, quibus ut bonum Patriæque vere amantem civem decet, Reipublicæ, cui poſt Deum immortalem omnia debemus, prodeſſe pro virili aliquando poſſem. Nec defuit, quod ſubmiſſa animi gratiarum actione fateor, laudabili huic inſtituto, ſingularis Altiſſimi Numinis Providentia, cujus nutu atque directione, omnia illa Doctrinæ & Inſtitutionis adjumenta mihi contigêre, quibus multos, vel ſocordiæ deditos, vel non rectam

ctam viam ingreſſos, utplurimum deſtitutos ſuiſſe, compertum habeo. Quare cum auſpicato ea mihi evenirent ſidere, toto hoc peregrinationis curriculo, nihil prius aut antiquius exiſtimavi, quam ſumma cura eo inniti, qua ratione omne illud otium, quod Literæ ſibi vindicant, recte diſponerem, tempusque divinitus clementiſſime conceſſum ſollicite collocarem, cujus bene facti teſtem habeo pacatam in pectore conſcientiam. Hæc cum ita ſint, poteram ego nunc tandem, infallibili hoc teſtimonio ſtipatus, feliciterque ſtudiorum & officiorum partibus perfunctus, de reditu in chariſſimam Patriam lætabundus cogitare. Nec tamen hoc a me impetrare potui. Quoties enim cunque VOS PROCERES cogito, fit autem hoc quam ſæpiſſime, toties certe & in mentem mihi venit, ratio, ob quam VOS, egregium PATRIÆ PATRVM conſcriptorum nomen tueamini, eoque ſitis inſignes. Hoc vero dum diligenter apud me volvo atque revolvo, inter alias ejus cauſſas, hanc quoque deprehendo, ſcilicet, ut omnibus ac ſingulis Civitatis veſtræ Civibus & Filiis, interque eos illis præprimis, qui peregrinas terras populosque adeunt, luculento eſſet indicio atque argumento, VOS, DOMINI, illos eſſe, quibus poſt DEVM, ut ſtudiorum, ita & vitæ a ſe transactæ, reddenda aliquando ſit ratio.

Hoc igitur incentivo permotus, nec ſtudia mea

recte ſibi conſtare putavi, nec prius de reditu ad penates patrios cogitandum mihi eſſe duxi, quam publico ſtudiorum ſpecimine induſtriam meam probaſſem, temporisque bene collocati rationem, eo ipſo VOBIS demonſtraſſem. Prodeo itaque nunc his rebus inflammatus, in publicum Veſtrum Conſpectum, adque aram Pietatis, meique erga VOS obſequii, hanc DE CORONIS Commentationem, longo Bibliothecarum uſu, frequentique lectione, ex omni Antiquitate hauſtam, tanquam argumentum navatæ a me hactenus operæ, devota animi ſubmiſſione offero atque depono. Rerum primitiæ Diis erant ſacræ, igitur has etiam Lectionis meæ Hiſtoricæ primitias, Academico otio natas, VOBIS tanquam Diis Patriæ Tutelaribus a me conſecrari, Pietatis eſſe duxi. Interim erant fateor alia quædam penes me, ex Antiquitatum monumentis, Hiſtoricorumque Annalibus, multo labore atque induſtria paſſim compilata, lucem publicam expectantia, quæ Nominibus Veſtris, vel ex ea ratione magis convenire videbantur, quod Origines atque Res patrias, Majorumque noſtrorum facta complectantur atque recenſeant. Aſt cum premere ea impræſentiarum certis ex cauſſis conſultum mihi fuerit viſum, opportuniori & tempori & occaſioni ea reſervato ſunto.

Ceterum an his meis conatibus fecerim aliquid, Veſtra expectatione dignum, haud affirmare poſſum:

hoc

hoc tamen certe fateri neceſſe habeo, me hocce inſtituto nihil aliud intendiſſe, quam ut boni civis partes agerem, omneque meum erga VOS, Patriæ PROCERES, ſtudium atque affectum, quoad fieri posſet, demonſtrarem. Nihil igitur amplius ſupereſt, quam modeſta ad VOS petitio, humillimaque contentio, ut hoc quicquid eſt muneris, ſerena fronte accipiatis. Erigit me in hac ſpe atque confirmat, ſummi judicii Veſtri æquitas, quæ nunquam a benignitate disjuncta eſt, tenuesque homines ſuſtentat atque tuetur, illos maxime, qui rectis vitæ ſtudiorumque inſtitutis, ad vera Doctrinæ liberalis ornamenta contendunt. Ego interea DEVM Optimum Maximum ſupplex veneror atque obſecro, ut VOS, qui Patriæ dulciſſimæ cauſſam ſtrenue tenetis, florentes atque incolumes diu ſervet atque tueatur, omnia denique Veſtra Conſilia, quæ pro ſalute Patriæ ſuſcipitis, felici ſucceſſu atque eventu ſecundet. Valete, & me ſtudiave mea de meliori vobis habete commendatiſſima. Ex Academia Jenenſi A. O. R. MDCCXII. Prid. Id. Aprilis.

NOMINIBVS AC OFFICIIS
VESTRIS

perpetuo devinctiſſimus Cliens

MARTINVS SCHMEIZEL.

CLARIS-

CLARISSIMO VIRO

MARTINO SCHMEIZELIO

S. P. D.

BVRCARD GOTTHELF STRVVE

Juris Utriusque Doctor, & Hiſtoriarum Profeſſor Publicus Ordinarius,

VNIVERSITATIS JENENSIS

h. t.

PRO-RECTOR.

IN publicum nunc prodis, & induſtriam Tuam, & quantum lucubrationibus Tuis profeceris, omnibus demonſtraturus. Poſtquam enim ab aliquot retro annis inter primos Auditores Te mihi exhiberes, induſtriam Tuam atque literarum ſtudium in tantum probaſti, ut non niſi optima quævis de Te potuiſſent expectari. Hinc etiam poſtquam in Noſtra aliisque Academiis ſtudia Tua probe exantlaſti, dignus fuiſti, ut mores ſtudiaque Perſonarum etiam Illuſtrium efformares. Ne autem virtus Tua intra privatos ſaltim parietes contineretur, publico quoque prodeſſe cupis, & quod multo labore, frequenti Bibliothecarum uſu de Coronis *collegiſti, nunc cum erudito orbe communicas. Materiam hancce ex omni Antiquitate atque recentioris ævi uſu ita exhauſiſti, ut nihil amplius ſupereſſe videatur.*

Loca

Loca Scriptorum perplura explicaſti, Coronarum uſus varios demonſtraſti, vulgares errores circa Coronas Imperantium detexiſti, eosdemque ex actis genuinis emendaſti, ut omnino utilem publico operam hoc ipſo navares. Perge prout cœpiſti porro publico prodeſſe, auge numerum Doctorum Tranſilvanorum, ut Patria Tua, omnesque boni de Te gaudeant, atque eruditus orbis magis magisque ſe Tibi vindicet. Faxit Supremum Numen interim, ut largos capias ſtudiorum fructus, atque Opus demum coronet Magiſtrum. Vale. Jenæ Non. Apr. M D C C XII.

CLARISSIMO ET LITERATISSIMO

V I R O

MARTINO SCHMEIZEL,

Fautori & Amico Optimo

Tractatum

DE CORONIS

edenti,

S. P. D,

IOANNES HENRICVS BARTHIVS,

SS. Theolog. D. & P. Publicus Ordin. in Academia Argentinenſi.

INter jucundas illas prædas, quas ex Illuſtri illa, & a me non ſine grata veneratione, intimaque animi delectatione nominanda ſtudiorum ſede *Academia Jenenſi*, deportavi, Tuam quoque Amicitiam, *Clariſſime SCHMEIZELI*, jure meritoque

refero.

refero. Ex quo enim mihi innotuiſti, innotuiſti enim paucos ante annos, egregias ſtatim ingenii dotes, inſignes in Literis præſertim politioris humanitatis profectus, ſcitam & comptam in converſatione vivendi conſuetudinem, animum ad majora ſtrenue tendentem, & humilem, qua Temetipſum absque ſupercilio & invidioſo erga alios oculo, metiri noviſti, modeſtiam, in Te deprehendi, amavi, honoravi. Nec ſane memet ipſum fefelli. Unde non poſſum non, ſubinde incurrente Tui recordatione, ad hunc usque diem delectari, quoties optimi, quos de Theologicis pariter atque Humanioribus Literis miſcuimus, ſermones, ſuavis ille, per tempus aliquod in cariſſimis Ædibus Struvianis convictus, bella converſandi peritia, & multa illa Tuæ Benevolentiæ & ſinceri animi monumenta, a quibus recenſendis abſtinere me jubet Modeſtia Tua, in memoriam redeunt. Interim nec locorum, quibus disjuncti ſumus, diſtantia, animos hactenus noſtros immutavit, novo Tu illos iterum vinculo colligaturus, doctiſſimi Tui Tractatus de *Coronis*, in quo edendo occuparis, priores, quæ prælo liberatæ ſunt, plagulas, pro Tua in me Benevolentia ex Jenenſi Lyceo mihi huc transmiſiſti, quas gratiſſimo etiam animo ſuſcepi. Aſt [liceat mihi Tecum ita loqui] eo ipſo expectationem meam fefelliſti, *Amice Optime*. Expectaveram enim aliud a Te ſatis grande Opus *de Rebus Tranſilvanicis*, quod, cum lateri Tuo adhuc adhærerem, ad calcem fere jam perduxeras, quodque orbi erudito atque rerum in iis terris geſtarum cupido, absque omni dubio, gratiſſimum foret. Tu vero mutato, ſuas ob cauſſas conſilio, *Coronas* mihi mittis. Nec tamen indignor, & facile a me veniam, quod ſpes hæc me fruſtrata fuerit, obtines. Fefelliſti quidem expectationem meam, quod opus illud, cujus videndi deſiderio flagrabam, oculis meis, uti promiſiſti, non ſtiteris; non tamen penitus eandem fefelliſti; imo, quod ſperaveram, ex aſſe præſtitiſti. Speravi autem ſemper a Te, ſi quem editurus

eſſes,

eſſes, fœtum, optimi Tui ingenii dotibus, indefeſſo labore, egregiaque quam Tibi acquiſiviſti, eruditione, bene exaſciatum & elaboratum. Et talem Tuum de *Coronis* Tractatum eſſe, Tua quidem modeſtia, uti par eſt, non jactabit, alii tamen in Theatro Literario, qui ejusmodi literas amant, ſine dubio mecum fatebuntur. Si enim ex primitiis de pleniori meſſe quæ ſequitur, judicare licet, primæ illæ, quas accepi, plagulæ de reliquis optime ſperare me jubent. In antiquarum quidem conſuetudinum origines inquirere, ſæpe magni at incerti laboris res eſt, in tanta tamen antiquitatis incertitudine Coronarum originem ita detexiſti, ut aliorum approbationem facile, ut credo, Tibi polliceri poſſis; Imo diverſas quoque Coronarum Claſſes ita depingere incepiſti, ut, ſi pari ſtudio perſeveraveris, *Virtutis Honoris*que *Coronis*, a Te ſigillatim delineandis, omnium judicio dignum Te ipſum habitum iri jamjam prævideam. Et quidem has Coronas in curſu Tuo Academico jam comparas, quid non de reliquis Tuis annis [det vero Deus multos] non ſperemus? Faveat igitur annuatque porro Tibi ſtudiisque Tuis Divina Gratia, ut multas adhuc in his terris Coronas, vita bene transacta, merearis, cœleſtem vero imprimis Coronam, ad quam ſtrenue ambiendam, ne unquam defatigeris, in magno illo die a Brabeuta Chriſto tandem reportes. Hac enim ſi non cingamur, quid eſt, ſi in aliis ſertis & Coronis legendis per omnem vitam laboraverimus? Tu vero, quem præſentem ſincero amore amplecti cœpiſti, locorum intervallo diſruptum, amare non deſiſte, me viciſſim, Tibi porro deditiſſimum & a me ipſo, qualem noſti, nunquam alienum fore, certo certius Tibi perſuadeas velim. Vale. Scrib. Argentorati Prid. Non. Febr. M DCC XII.

Ad

Nobilisſimum atque Doctisſimum

DOMINUM

MARTINUM SCHMEIZELIUM

CORONENSEM,

de Re Coronaria apud exteros ſcribentem.

QVod multumque diuque peregrinaris, amore
    Plurima noſcendi fit ſtudioque bono.
Hinc Prudentia, & hinc Tibi parta Peritia rerum,
    Pectus & exultum eſt artibus ingenuis.
Nec tamen immemor es Patriæ cum ſcripſeris abſens
    Mores & Populos Dacia quos habeat.
Quæ quoniam premere eſt Tibi viſum; Nomine ſaltem
    Quo gaudet Patria Urbs, editur Hiſtoria.

STEPHANUS BERGLER,
Corona-Tranſilvanus.

PRAE-

PRAEFATIO

ad Benevolum, Reique Antiquariæ ſtudioſum LECTOREM.

QVod aliis ſæpe accidere aſſolet, ut alio plane conſilio inſtitutum aliquod ineant, atque poſt reipſa agunt, idem & mihi contigiſſe lubens fateor. Quamprimum enim ſcriptioni huic manum appellerem, animus erat, non niſi brevi quodam Schediaſmate, de *Origine & Fatis Sacræ, Angelicæ & Apoſtolicæ Regni Hungariæ Coronæ,* ingenii mei vires exercere. Simul vero ac cœpi argumentum hoc majori nonnihil cura aggredi, ſenſim mutata ſententia, & laxato quaſi ſtyli freno, liberiori curſu evagatus ſum, idque hac potiſſimum occaſione. Videbatur mihi e re utique futurum, præfaminis quaſi loco, de Coronis in genere, earumque Origine, ac diverſis generibus quædam præmittere, quarum amœnitatum campos ubi peragrarem, tamque uberrimos deprehenderem fructus, tantam animo meo hæc jucunditas excitavit cupiditatem, ut mutata illico ſententia conſilium caperem, prolixiorem quadantenus huic argumento navare operam. Nec defuit Argumenti hujus Nobilitas, pariter atque Amplitudo. Sive enim Coronarum Antiquitatem ſpectes, ſive Uſum, earumque Dignitatem, nullam certe rerum humanarum partem invenias, quæ mortalium generi magis coætanea, nullaque vetuſtate oblimari un-

 quam

quam potuerit, nullam quæ per omnes fere hominum actiones magis ſit diffuſa, nullam denique quæ continuato uſu a tam vili initio atque cunabulis, variis acceſſionibus mirandisque progreſſibus, in maximos humanæ dignitatis evecta ſit gradus atque columina. Quis enim, quæſo, antiquitatum expers crederet? Rem, *quæ*, dicente *Tertulliano* (†) *olim & lupanaria, & latrinas, & piſtrina, & carceres, & ludum, & ipſa amphitheatra, & ipſa ſpoliaria, & ipſas libitinas cinxit atque contexuit*, quamve ad obſcœnos pariter ac fœdiſſimos uſus adplicatam (††), imo jocum luſumque fuiſſe legimus, hanc inquam ſucceſſu temporum apud omnnes fere nationes adeo potuiſſe increbeſcere, ut, quæ nata eſt apud communes priſcorum menſas, mox occupârit altaria Deorum; e mapalibus, caſis & caulis, invaſerit frequentiam urbium; in templis & theatris eminentiſſimum nacta ſit locum; Caſtris & Claſſibus cupidiſſime excepta fuerit, ubique ſignârit fortitudinem, victoriam, & felicitatem, rerum culmina & columina monſtràrit; imo in hunc usque diem Regum Majeſtatem aſſerat atque demonſtret. Hæc cum ita ſint, altiori certe indagine digna, hæc mihi viſa eſt materia, præſertim cum vix a quoquam, ſi *Paſchalium* & *Thyleſium* [diligentiſſime a me requiſitum, at nuſpiam inventum] excipias, ex profeſſo fuerit tacta, aut ſpeciali cura, præſertim quantum Coronas Regias attinet, aggreſſa. His itaque rationibus adductus, ſingula illa, quæ de Re Coronaria, in Lectione bonorum Auctorum obſervata Adverſariis meis ingesſi, hac, quam TIBI offero, Commentatione, juſto ordine exponere volui. Hauſi ſubinde fateor, rivulos, ita tamen, ut ſemper ad Fontes recurrerem, eosque exigerem, cum ſciam, rivulos non ſemper eſſe limpidos neque haurienti ſalubres. Ne vero quis de bona fide, qua ſingula narrata atque expoſita ſunt, ambigeret, ecce, ipſa Auctorum teſtimonia ſuo quoque loco adduxi, eo quod in ejusmodi argumento ſint quam

ne

(† *De Corona Militis Cap, XIV.* (††) *Vid. Auguſtinus de Civit. Dei Lib. 21. Conf. Paſchalius Lib. IV. Cap. 3.*

neceſſaria, denique etiam grati animi indicium ſit, ultro profiteri, quorum informatione quis profecerit. Ceterum ut lucem libello, fructum vero diligentiæ Lectori fœnerarer, e re quoque eſſe putavi, una cum deſcriptione, Coronarum quoque Icones ære expreſſas adjicere, atque ſic aurum, argentum, gemmas, herbas & frondes in cuprum, hoc vero in chartam ſenſuum gratia convertere, prout ſcilicet antiquæ illæ in Numiſmatibus conſpiciuntur; recentiores vero ſive Regiæ ab Auctoribus ſuis infra locis citatis, deſcriptæ mihi obvenerunt. Hoc igitur properatum a me ampliſſimæ materiæ breve compendium, Candide Lector, benevolo animo ut excipias, eſt quod etiam atque etiam rogo atque contendo. Et ſi potes ulterius progreſſuro, occaſionem amplificandi hanc materiam, [præprimis quæ ad moderna Regum Diademata ſpectant] benigne ſuppedita. Si erratum quid, aut præteritum fuerit quod addere neceſſarium erat, Tuæ ut ſpero, Prudentiæ erit ut moneas, humanitatis, ut ignoſcas. Memineriſque illud, *Horatii*, ut *nemo hominum vitiis ſine naſcitur*, ita nec ullus Liber, qui ab eorum labore proficiſcitur. Optimus ille eſt qui minimis urgetur. Ad me vero quod attinet, hoc Tibi perſuaſum habeas velim, me nihil illos morari, qui vix unquam promendo ſua, ſed usque cavillando aliena ſibi laudem quærunt. Vale.

CONSPECTVS TOTIVS OPERIS.

CAP. I. de *prima Coronarum Origine*, Pag. 1.
CAP. II de *diverſis Coronarum Generibus*, p. 14. Cujus
SECTIO I. agit de Coronis *Antiquis* & quidem
Claſſe I. pe Coronis *Pacis*. Quo ſpectant
Art. I. Coronæ *Lætitiæ*, quales ſunt:
1) Coronæ *Conviviales*, p. 17. 2) *Virginales*, p. 28. 3) *Amatoriæ*, p. 30 4) *Nuptiales*, p. 31. 5) *Feſtæ*, p. 41. & quæ his ſunt oppoſitæ. 6) *Exequiales*, p. 43.
Art. II. Coronæ *Sacræ* p. 56. (*Infamiæ* p. 71.
Art. III. Coronæ *Honoris*, p. 76. quæve his opponuntur Coronæ
Art. IV. Coronæ *Virtutis*, & quidem

a) Eo-

α) Eorum qui *animi viribus* Rempubl. juvabant, p. 87. ſeq.

β) Eorum qui *Corporis viribus* eam tuebantur, p. 104. &c.

Claſſe II. de Coronis *Militaribus*, p. 110. Hæ duplicis fuêre generis:

Aliæ dabantur *promiſcue Ducibus & Militibus*, ut

1. *Civica*, p. 114. 2. *Caſtrenſis*, p. 116. 3. *Muralis*, p. 118. 4. *Navalis*, p. 120. 4. *Victrices*, p. 122.

Aliæ *Ducibus & Imperatoribus* erant *peculiares*, ut (p. 128.

1) Corona *Obſidionalis*, p. 134. 2) *Ovalis*, p. 136. 3) *Triumphalis*

SECTIO II. agit de Coronis *Modernis iisque Regiis*, & quidem

CAP. I. de *Prima earum Origine*, p. 134.

CAP. II. de *Diverſis earum Generibus*, p. 138.

Art. I. de *Priſcorum Regum* Capitis Inſignibus, p. 139.

Art. II. de *Recentiorum Europæ* Imp. & Regum Coronis, p. 164. & quidem

1. Imperatorum *Orientalium*, p. 166.

2. Imperatorum *Romano-Germanorum*, p. 168.

α) *Romana*, p. 168. β) *Germanica*, p. 170. *Lombardica*, p. 185.

3. Regum *Europæorum*, quales ſunt: 1) *Hungarica*, p. 176. 2) *Hiſpanica* ibid. 3) *Galliea*, p. 177. 4) *Anglica*, p. 178. 5) *Luſitanica*, p. 179. 6) *Danica*, p. 187. 7) *Suedica*, p. 187. 8) *Polonica*, ibid. 9) *Bohemica*, pag. 182. 10) *Borusſica*, p. 183.

SECTIO. III. agit de *Aliarum Summarum Poteſtatum* Capitis Inſignibus, & quidem

1. De *Pileo Coronato Magni Ducis Moſcorum*, p. 184. 2. De *Pileo Archiducali Auſtriæ*, p. 185. 3. De *Pileo Electorali* Germaniæ, p. 186. 4. De *Corona Magni Ducis Hetruriæ*, p. 187. 5. De *Mitra Ducis Venetorum*, p. 188. 6. De *Pileo Ducis Genuenſium*, p. 189.

SECTIO IV. De *Perſonarum Eccleſiaſticarum* Capitis Inſignibus

CAP. I. De *Corona Pontificis Ebræorum*, p. 190. CAP. II. De *Corona triplici Pontif. Romani*, pag. 195. CAP. III. De *Pileo Cardinalitio*, p. 200. CAP. IV. De *Mitra Archiepiſcopali*, p. 202.

His abſolutis ſequitur Diſcurſus peculiaris de *Corona Hungarica*, cujus

CAP. I. agit de *Prima hujus Coronæ Origine*, p. 206. CAP. II De ejus *Forma & Figura*, p. 211. CAP. III. De ejus *Dignitate & Prærogativa*, p. 212. CAP. IV. De ejus *Cuſtodia & Cuſtodibus*, p. 216. CAP. V. De ejus *Fatis ſingularibus*, p. 219. CAP. VI. De *Jure Pontificis & Prætenſione in Regnum Hungariæ*, p. 226.

CAPVT. I.

DE
PRIMA CORONARVM ORIGINE.

Nominis Etymologia. Varii ſignificatus & appellationes. Prima Coronarum Origo mos ille veterum adſtringendi in Conviviis capita. Convivia apud veteres varia. Scriptores de conviviis veterum, eorumque ritu. Progreſſus & translatio primæ Coronæ aliorſum.

CUm ex Philoſophorum teſtimonio ipſa vocabula rerum ſint notæ atque ſigna, nominisque notitia in rerum nos deducat penetralia, igitur antequam ipſam rem explicandam ſuſtineo, in limine aliquantiſper immorari, vocisque ſignificatum, brevibus enodare lubet.

Varie autem hic a variis traditur, nec enim apud omnes eadem derivatio. Sunt (1) qui Coronam dictam velint a *Cornu*, vel quod ſimilitutine quadam inter ſe conveniant, vel quod in ſacris paginis cornu tanquam inſigne, notaque Regii capitis uſurpatum obſervent. *Feſto* (2) Corona dici videtur a *choro*, quod χορὸς dicatur ἀπὸ τ̃ χαρᾶς a gaudio. *Apion* ille apud *Athenæum*, (3) auctoritate Simonidis fretus, *Coronam*, ait, *olim choronam dictam, quod ea χορεύται ſive ſaltatores ſcenici in theatris impoſita capiti uterentur. Iſidorus* (4) eam nominari autumat a *choro & circuitu* veterum circum aras, ad cujus imaginem Coronas formatas eſſe putat. Aliis aliæ hujus vocis derivationes placent (5). Verum ut prior illa ſententia, judice *Ca-*

 rolo

(1) *Joh. Pierius in Hieroglyphicis Lib. XLI. cap. 25. pag. 304. b. & Lib. LVI. cap. V. pag. 410. a.* (2) *De verborum Vet. Signific. Lib. III. ab initio. conf. Pyrrhus Perottus in Cornu Copiæ ſ. in Comment. in Martialis Epigr. XXVII. ab initio.* (3) *Deipnoſoph. Lib. XV. cap. 8. pag. 680. D. Edit. Caſaubonianæ 1657. f.* (4) *Lib. XIX. cap. 30.* (5) *vid. Plutarchus Tom. II. Sympos. Lib. VIII. Quæſt*

rolo Paſchalio (6) abſurda eſt, ita & poſteriores falſas eſſe ipſa Orthographia docet, quæ vetat *choronam* per aſpirationem ſcribi; licet interim negari haud poſſit, veteres ubi nimius aſpirationis uſus erupit, etiam *choronam* cum aſpiratione ſcripſiſſe, quemadmodum *chenturiones* & *praechones* vt docet, ſimulque ridet *Quintilianus* (7). Quam *Arrii* cujusdam κακοζηλίαν acute quoque perſtringit *Catullus* (8) ſequentibus in locis:

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & hinſidias, Arrius, inſidias.

Et poſt quædam interjecta:

Ionios fluctus poſtquam illuc Arrius iſſet,
Jam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

Nos *Paſchalio* (9), & qui eum ſequuntur, *Caſaubono* (10) *Voſſioque* (11) ducibus, nomen Coronæ derivari credimus, a græca dictione κορώνη vel κορωνὶς, notum enim ex Grammaticorum ſcholis, κορώνην eſſe *ſummitatem illam arcus*, quam Matheſeos Doctores *ſemicirculum* appellant, imo quandoque etiam eum ſive *circulum*, ſive *annulum* denotare, qui erat in quodam retis genere, cui apud veteres nomen ποδαστράβη; Jam autem, cum primæ veterum Coronæ circulares fierent, capiti quippe invinciendo deſtinatæ, igitur ab hac circulari & rotunda forma, originem vocis Coronæ derivandam utique eſſe, nemo facile inficiabitur (12) Unde & κυκλοτερὴς τῆς κεφαλῆς κόσμος h. e.

---

6. pag. 726. F. Edit. Græco-Lat. Xylandri, Francof. 1620. f. Joh. Gvil. Stuckius Antiqu. Conviv. Lib. III. cap. 16. Gerh. Jo. Voſſius Etymolog. Linguæ Lat. in voce Corona. (6) de Coronis Lib. I. cap. 1. pag. 2. (7) Inſtitut. Orat. Lib. I. cap. 10. conf. Terentius Scaurus de orthographia pag. 2251. ex collect. Eliæ Putſchii Hanoviæ 1605. 4. Marius Victorinus Artis Gram. Lib. I. de Orthogr. pag. 2466. apud Putſchium. Joh. Meurſius de Coronis p. 2. 3. (8) pag. m. 77. (9) Loc. cit. (10) In Notis ad Athenæi Lib. XV. cap. 8. pag. 962. (11) Loc. cit. conf. Jo. Ciampinus in veteribus Monum. cap. XIV. pag. 106. (12) vid. Chriſt. Becmannus de Origin. Lat. Linguæ in voce Corona.

h. e. circularis capitis ornatus *Heraclidi Pontico* (13) dicitur.

Cæterum ipſa hæc vox varios ſortitur ſignificatus, & in ſingulis ferme diſciplinis peculiarem admittit ſignificationem (14). In Sacris literis nomen Coronæ denotat quandoque *potentiam* & *regnum*, ut in Prophetia Eſaiæ cap. XXVIII, 1. & Ezech. XXI, 26. nec non Pſal. VIII, 6. imo & *ornamentum* atque *decus*, quo ſenſu Paulus Apoſtolus Philippenſes cap. IV, 1. & Theſſalonicenſes Ep. I. cap. II, 18. *Coronam* ſuam vocat. Cumprimis vero hoc nomine *ſummum omnium præmiorum* ſignificatur, æterna videlicet beatitudo vitæque futuræ conſtans & perpetua felicitas, quo ſignificatu hæc vox occurrit I. Cor. IX, 25. II. Tim. IV, 8. Jac. I, 2. Apocal. II, 10. (15). Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus hoc nomine *Martyrium* ſæpe venire ſolet (16), quæ ſignificatio apud *Prudentium* cumprimis ſæpe nobis obvia eſt. Imo & pro *conventu hominum circumſtantium*, & veluti in circulum congregatorum apud bonos autores ponitur, (17). Quid vero in Phyſicorum atque Medicorum ſcholis hoc nomine veniat, apud *Galenum* (18) & *Pollucem* (19) videre licet. In Architectonicis *Coronæ* vocantur *prominentiæ & veluti ſupercilia parietum* (20). In Aſtronomicis hac voce *duo Aſteriſmi ſeptentrionalis* unus, alter *meridionalis* (21) deſignari ſolent. In re militari Romani Coronam appellabant, quicquid interius & ex-

---

(13) *In Allegoriis Homericis pag. 149. Edit. Baſil. 1544.* (14) *vid. Ambr. Calepini Lexicon voce Corona. Theatrum Romanum in hac voce.* (15) *Conſ. Matth. Flacii Clavis Scrip. Sacræ in hac voce.* (16) *Tertull. de Cor. Militis. Hieron. Ep. Lib. II. Epiſtola XIV. Auguſt. de Civ. DEI Lib. VIII. cap. 27.* (17) *Vid. Cicero Orat. pro Flacco. Pro Milone. Plin. Lib. VI. Ep. 19.* (18) *Lib. II. de Partibus. conſ. Aretæus Lib. 1. Diuturn. cap. 2.* (19) *In Onomaſtico Lib. II. Conſ. Rolſinkium. Joh. Gorræum in Defin. Med.* (20) *Vitruvius Lib. II. de Architect. cap. 8. vid. Salmaſii not. in h. l. conſ. Ptolom. de Apparentiis Menſ. Oct. Hipparchus ad Arati & Eudoxi Phoenom. L. II. c. 18. ex verſ. Petavii.* (21) *Virgil. Lib. I. Geor. 45. C. Jul. Hyginus in Poetico Aſtronomico. Aegid. Strauchius Aſtrognoſ. §. 107. &*

exterius caſtra circumdabat (22). Pari ratione & in Geographia *quædam urbes* hoc nomine ſunt inſignes, quales ſunt *Corona* Tranſilvaniæ, urbs ut civium numero, ita & mercaturæ ſplendore, omnibus hujus Principatus urbibus palmam præripiens (23), quam Patriæ & Parentis nomine, in exteris licet oris conſtitutus, ſubmiſſe veneror atque colo. Ejusdem etiam nominis oppidum in Bithynia (24), & aliud in Peloponneſo ſitum (25), ex Geographorum relationibus jam dudum innotuit. Apud quosdam Scriptores, Eccleſiaſticos præſertim, Corona ſumitur etiam pro *dignitate & auctoritate Epiſcoporum* ut *Hieronymus* Epiſt. 81. ad Auguſt. T. 2. *Precor Coronam Tuam.* Ita quoque *Savaron. ad Sidon. Lib.* VI. Ep. 4. *auctoritas Coronæ Tuæ,* & Lib. VII. Ep. 8. *De minimis videlicet Coronam Tuam maximisque conſulerem.* Imo & *figura illa circularis tonſuræ* in capitibus Clericorum Romanenſium olim ignota, in Concilio vero Toletano IV. primum introducta atque præcepta *Corona* dicitur (26). Reliquos hujus vocis ſignificatus quam plurimos, quos ratio inſtituti prolixius exprimere vetat, videat cui volupe eſt in compendio apud laudatum *Paſchalium* (27). Nobis hoc loco cum eodem *Auctore* (28) nihil eſt aliud, quam *circulare capitis geſtamen, ea re inventum, ut ſit luculentum inſigne lætitiæ, pietatis, morum optimorum, ingenii & doctrinæ, victoriæ & ſtrenuitatis, virtutis & felicitatis, denique ſummi inter homines faſtigii,* quibus ipſam *Coronæ definitionem* abſolvimus. Illud

---

§. 155. (22) *Hyginus de Caſtrametatione, vid. notas R. H. S in h. l. Lucanus in Pharſal. Lib. VI. v. 289.* (23) *Georg. a Reychersdorff in Chorogr. Tranſilv. p. 475. Mart. Kelpius in Natal. Saxonum Tranſilv. cap. I. §. X. Dan. Gvil. Mollerus Diſp. de Tranſilvania §. XXVI.* (24) *Stephanus de Urbibus.* (25) *Strabo Geogr. Lib. VIII. p. 239.* (26) *Vid. Novell. Valentiniani de Epiſc. Ordin. Baronius T. 1. ad An. 58. Beda Lib. 5. Hiſt. Angl. v. 22. Jac. Lobbetius in Speculo Eccleſ. cap. 2. Prosp. Stelliartius de Coronis & Tonſuris. Chockier Facis Hiſt. Cent. I. cap. 9. Conr. Ritershuſii notæ ad Salviani Lib. de Avaritia p. 592.* (27) *Lib. I. cap. III. IV. V. VI.* (28) *Lib. I. cap. I.*

Illud vero, quod Romanis *Corona, Mitra, Circulus, Sertumque* dicitur, Græci στέφανον, στέμμα, Διάδημα, στρόφιον vocare ſolent, quæ inter ſe cognatæ voces & in unum facile coëuntes ſenſum, ratione etymi nihil aliud ſignant, niſi rem circularis formæ, h. e. faſciam ſive vinculum, quod capiti circumponitur, illudque cingit atque evincit. De quarum vocum nomenclatura plura qui avet, laudatos jam auctores adeat, ſpeciatim vero *Paſchalium* (29), quippe qui omnia ea quæ ad earundem Etymologiam atque Homonymiam ſpectant, more ſuo, hoc eſt, curioſe & diligenter, ex intimis penetralibus exhauſit atque evolvit.

Nunc ad rem ipſam. Ubi ante omnia de primo Coronarum auctore libet quærere, quisnam ille fuerit? & quales primæ illi coronæ tribuendi ſint natales atque cunabula? ad quam quæſtionem priusquam reſpondeamus, obſervandum hic eſſe monemus, magnam inter ſcriptores de prima coronarum origine eſſe contentionem. Illi qui fabulas non averſantur, cum gentilibus a Diis ipſorum, coronarum natales deducendos eſſe contendunt, dicentes *Bacchum* ſive *Liberum Patrem*, primum Coronarum inventorem & repertorem eſſe, poſtquam enim ex Indis primus triumphaſſet, ſibimetipſi primus ex hedera Coronam impoſuiſſe (30); alii contra *Saturnum* (31); alii (32) *Iovem* poſt devictos Titanas ante omnes coronatum fuiſſe ſtatuunt; rurſus alii (33) *Janum* ut coronæ ita & farris vinique inventorem eſſe tradunt; alii (34) denique *Pandoræ* caput a Charitibus primum coronatum eſſe volunt; Verum enim vero quam fruſtra iſti hunc ſuſcipiant laborem, Hiſtoria Mythologica nos docet, ex ea enim liquido apparet, nullum vel Bacchum, vel Janum, vel Pandoram, vel aliud hujus generis

 Ethni-

---

(29) Loc. cit. (30) Plinius Lib. XVI. cap. 4. Conf. Tertull. l. c. Polyd Vergilius de Invent. rerum Lib. II. cap. 17. (31) Pherecydes apud Tertullianum l. c. cap. VII. (32) Diodorus ap. Tertull. l. c. (33) vid. Athenæus Lib. XV. cap. 13. pag. 692. D. (34) vid. Tertullianus l. c.

Ethnicorum portentum, in rerum natura unquam extitiſſe, ſed inſulſe ſolum a gentilibus excogitata eſſe (35); Quamobrem fabuloſos illos primæ Coronæ natales & originem, miſſam lubentes facimus, ſoliciti potius de veris ejus e rei veritate deductis cunabulis.

Cum vero Coronarum uſus maximæ vetuſtatis ſit, ut ex variis ſpeciebus, quæ longisſimis temporum interſtitiis emerſêre, liquido elucet, non ita facile ſuppetit, quo tempore quævis enata atque inventa fuerit. Interim tamen coronam omnium primam inter homines enatam, adeoque humani ingenii inventum eſſe, nemo cui rite cor ſaliat inficiabitur. Quis vero primus eam invenerit atque adhibuerit, magna hic quoque ſententiarum varietas. Sunt qui ex *Paradyſo* eam deducere allaborant, inter quos *Moſes Barcephas* Syrus (36), qui *Adamum, viridisſimo Evam gramine coronaſſe* dicit, *quando Deus eam ad virum adduxit*, ſed opinionem hanc æque tam firmam, tamque certam eſſe, ut illorum, qui Nili fontes ex eodem loco arceſſunt, ex Sacris pariter ac profanis auctoribus conſtat. Alii (37) *ab impio in gentilium ritus & idola declinantium Judæorum more, ex Sap. II, 8. ſeq.* tanquam a primo fonte coronarum inventionem deducunt, cum autem ex probatæ fidei ſcriptoribus perſpectum bene habeamus, coronarum uſum illis temporibus longe antiquiorem eſſe, igitur de his quoque opinionibus quid ſentiendum ſit, melius edocti facile vident. *Plinius* (38) *Glyceræ fœminæ Sicyoniæ*, gloriam iuventæ coronæ videtur adſcribere, quippe quam *Coronarum inventricem* vocat, ejusque inventa ab colorum varietatem commendat; Sed non

---

(35) *Vid. Ioh. Boccacius de Genealog. Deorum gentilium. Julius Firmicus de Errore Profanarum Religionum. Ioh. Gerh. Voſſius de Idololatria. Ejusque Filius G. Ioh. Voſſius in Theol. Gentili. Natalis Comes in Mytholog.*
(36) *In Libro de Paradyſo cap. 28. citante Madero de Coronis, præſertim Nuptialibus pag. 37.* (37) *Conf. Maderus l. c. pag. 18.* (38) *Lib. XXXV. cap. 11. §. 40.*

non eſt credibile Plinium de prima inventione loqui, Coronasque circa C. Olympiadem demum [poſt illam enim ait (39) *Pauſiam Sicyonium pinxiſſe dilectam ſibi municipem Glyceram*] inventas exiſtimaſſe, quum multis veterum ſcriptorum teſtimoniis probari posſit, jam dum ante Glyceræ tempora coronas in uſu fuiſſe. Dicendum itaque, Plinium aut de certo coronarum genere, *diverſicoloribus* puta, loqui, aut ῥῆσιν ejus corruptam eſſe, legendumque Coronarum *victricem* vel *venditricem*, non vero *inventricem* (40), id quod ipſe *Plinius* (41) indigitare quoque videtur, quando paucis interjectis dicit, *Glyceram venditando Coronas* paupertatem ſuſtentaſſe. *Cœlius Rhodiginus* (42), *Stephanum quendam in Græcia, primum Coronarum auctorem fuiſſe ſcribit, quo argumento etiam Græcorum lingua rei ſit conciliatum nomen*, quod tamen ſine veterum ſcriptorum teſtimoniis nemo facile probaverit. *Strabo*: (43) *Coronas floriales primum in Brutiis circa Vibonem Valentiam textas eſſe* ſcribit. Alii alias fovent opiniones (44). Speciatim vero *Ioannes Ciampinus* (†) *casu eas in locis campeſtribus vineisque, ubi animus a curis levatur, adinventas fuiſſe ſtatuit, quando dicit, aliquem nempe in illa animorum alacritate, pampinis, aut alicujus plantæ racemis in gyrum contextis, Coronas formaſſe, eisque ſociorum, convivarumque tempora redimiſſe; quæ cum quid ludicrum, ac jucundum præferrent, alios omnes invicem ſibi ſimiles capiti impoſuiſſe, illudque tripudii, & alacritatis tempore geſtaſſe.*

Interim quicquid hujus ſit, nos primæ Coronæ originem, (ſalvo tamen aliorum judicio) ab illa veterum in conviviis capita ſtrophiis adſtringendi conſuetudine, derivandam, atque ſic, non

---

(39) Lib. XXI. cap. 2. §. 3. (40) vid. Salmaſius in Solinum pag. 246. a. Edit. Pariſ. An. 1629. f. conf. Harduinus in notis ad Plinii loc. cit. (41) Loc. jam cit. (42) Lib. VI. Antiqu. Lect. Lib. VI. cap. XIX. E. (43) Geograph. Lib. VI. pag. 161. (44) vid. Rhodiginus l. c. ab initio. (†) Loc. cit. pag. 107. a.

non caſu, ſed ex neceſſitate inventam & adhibitam eſſe credimus, quibus capitis vinculis ſucceſſu temporis omnia illa pedetentim acceſſerunt additamenta; quorum contextus Coronas, ut tales ſint, efficit. Hoc vero ut clarius pateſcat, de variis Conviviorum apud veteres ſpeciebus, præcipuoque eorum ritu, quædam hic per tranſennam quaſi adſpicienda ſunt, & ſic tandem de genuina Coronarum origine res erit in vado.

Quod ſi igitur tam Romanæ quam Græcæ antiquitatis annales, paulo penitius hanc in rem luſtremus, liquido apparet, varia ac multiplicia apud veteres fuiſſe Conviviornm genera, illa enim tam longe lateque patuerunt, perque omnes humanæ vitæ partes & actiones diffuſa fuêre, ut nulla fere ſit hominum actio, quam convivium non aut anteceſſerit, aut conſecutum fuerit; adeo ut non ſolum olim priſci illi tenebrarum filii, ſed hodie quoque multi in illorum cœtibus, quos (ſi Diis placet) Chriſtianos dicimus, nihil vel publice vel privatim bene feliciterque geſtum reputent, niſi Convivium aliquod interceſſerit; qua de cauſſa belle admodum huc mihi videtur quadrare, hoc cujusdam Aſcetici effatum: Unſere Chriſten ſauffen und freſſen wenn ſie gebohren werden / ſie ſauffen und freſſen wenn ſie geſtorben ſeyn / warum nicht auch ꝛc. Sed hæc ἐν παρόδῳ, igitur manum de tabula ad rem.

Et quidem ſi I. ratione *Apparatus* veterum convivia conſideres, quatenus ſcilicet vel in defectu, vel in exceſſu peccarunt, vel ſecundum Mediocritatis regulas inſtituta fuêre, alia erant Convivia *Minus parca*, alia *Luxurioſa nimis*, alia *Mediocria* ſive *Frugalia*. II. reſpectu *Temporis* quo peragi conſuevêre, diviſio non incommode videtur poſſe fieri in convivia *Antemeridiana*, *Meridiana*, *Veſpertina* & *Nocturna*. III. Ratione *quinque præcipuorum vitæ humanæ graduum*, Nativitatis ſcilicet, educationis, muneris cujusdam adeptionis, matrimonii & mortis, alia erant convivia *Puerperalia*, alia *Ablactationis*, alia *Inauguralia*,

ralia, alia *Nuptialia*, & tandem *Exequialia*. IV. reſpectu *Perſonarum*, alia erant Convivia *Regum*, alia *Populorum*, *Amicorum*, *Ruſticorum* &c. V. ratione *Modi* quo celebrari ſolebant, alia fuerunt *Publica*, alia *Privata*. Denique VI. reſpectu *Finis* & *Cauſſæ*, diſpeſci poſſunt in *Sacra* & *Profana*; Poſterioris generis fuêre ſingula illa, quæ jam recenſuimus, genera; *Sacra* vero ſeu *Religioſa*, quæ religionis aut verius ſuperſtitionis cauſſa diebus potiſſimum Feſtis celebrabantur (45).

Sed de ſingulis hiſce Conviviorum generibus, vel paucis tantum agere, cum non ſit hujus loci, multo minus noſtri inſtituti, de illo ſaltim Convii apud veteres genere, ejusque ritu, ratione propoſiti, paucis diſpiciendum nobis erit, in quo primam illam veterum Coronam natam & inventam eſſe credimus, quæ ſucceſſu temporis ita increbuit, ut omnibus inſecutis Coronarum generibus originem dederit, & a tenui hoc initio atque fomite ad luculentiſſimos pervenit radios; De reliquo ſtudioſum hujus materiæ lectorem, ad illos ablegamus ſcriptores, qui poſt *Homerum* (46), *Plutarchum* (47), *Macrobium* (48), *Athenæum* (49), ex profeſſo ſummave cum cura hocce argumentum abſolverunt, quales ſunt: ***Alexander ab Alexandro Geneal. Lib.V. c. 21. Jo. Guil. Stuckius***, cujus ***Libri III. Antiquitatum Convivalium*** erudite ſcripti extant, licet ***Bullengero*** judice (50), multa parerga miſceat. ***Juſtus Lipſius de Ritu Conviviorum apud Romanos*** polite, ut omnia, ſed multa levi manu & curſim egit. ***Jul. Cæſ. Bullengeri IV. de Conviviis Veterum Libri*** docte conſcripti doctorum verſantur manibus. ***Petrus Ciacconius de Triclinio*** belle ſed pleraque parum explicate. ***Ful-***

 vius

(45) *Vid. Joh. Guil. Stuckius Antiquit. Conviv. Lib. I. Matthias Berneggerus Diſſertatione de Conviviis.* (46) *Odyſ. IV. 15. ſeqq.* (47) *In Sympoſiacis.* (48) *In Saturnalibus Lib. VII. cap. 1. 2 3. 4.* (49.) *In Libris Deipnoſophiſtarum.* (50) *In Præf. ad Lect. Libris de Conviviis veterum præmiſſa.*

vius Urſinus in Appendice ad Ciacconii Librum jam allegatum. *Hieronymus Mercurialis Capite XI. Libri I. Artis Gymnaſticæ. Conr. Peutingerus in Serm. Convival. Joh. Cornarus de Veterum Germanorum & Græcorum Conviviis. Jo. a Chockier Facis Hiſt. Cent. I. cap. XIV. Matthias Berneggerus loc. cit. Ægidius Albertinus de Conviviis & Compotationibus.* Jo. *Er. Oſtermannus Diſſert. de Convivandi cœnandique veterum ritibus. Idem de veterum Romanorum convivandi ritibus.* Et non ita pridem *Hacquinus Stridzberg in Diſſertatione peculiari de Conviviis veterum* &c.

Jam ſi porro quæramus, cuinam ergo ex prædictis Conviviorum generibus, prima Corona acceptam referre debeat originem, ex fine cujus gratia olim inventa & adhibita fuit, manifeſto apparet, eam non in parcis illis aut frugalibus Conviviis, ſed in luxurioſis veterum commiſſationibus enatam eſſe; Is autem erat neceſſitas ex dolore capitis oriens, quam primum enim priſci illi petrones temeti dulcedine capti, in ſympoſiis ſuis liberalius mero ſeſe invitarent, ſtatim & caput vacillare, & pedes errare occœperunt, quæ e vino gravitas cum lætitiam eorum maxime interpellaret, incipiebant natura duce atque magiſtra ſibi utrumque tempus qualibet re obvia, modo eſſet idonea, vincire h. e. fortiter adſtringere, ut vapores e vino cerebrum petentes hoc modo infringerentur, illique καρηβαρεῖν mederetur, ceu pluribus id ex *Ariſtophanis Scholiaſte* (51), *Plutarcho* (52), *Athenæo* (53) aliisque optimæ notæ ſcriptoribus demonſtratum dedit *Cl. Paſchalius* (54).

Quod vero in hunc potiſſimum finem primæ illæ veterum Coronæ revera inventæ fuerint, ſcilicet, ut illi quam ebrietas pariebat gravitati & ſomnolentiæ mederentur, docet mos

---

(51) *In Avibus.* (52) *Sympos. Lib. III. Probl.* 1. (53) *Lib. XV. cap. 3. & 4. Conf. Svidas voce:* κατὰ χειρὸς ὕδωρ. (54) *Lib. I. cap.* 14. *& Lib. II. cap.* 2.

mos ille & ritus in conviviis olim receptiſſimus, adhibendi eas ſub *initium* (55), aut ſecundum alios, ſub *finem* (56) Conviviorum. Quotiescunque enim priſci illi homines conveniebant ad ſeſe exhilarandos, ſemper una cum unguentis & ſtrophia ſ. Coronæ aderant, eo videlicet fini, ut poſtquam vino ſe ingurgitaſſent, vinculo illo tanquam amuleto ſe munirent, adverſa mala inſtantis aut præſentis ebrietatis, qui mos ſucceſſu temporis ita apud omnes fere gentes increbuit, ut præcipua apparatus convivalis pars fuerit convivis ſimul cum unguento etiam Coronas exhibere. Teſtantur id ipſum plurima veterum auctorum loca, ex quibus ſequentia lubet adponere. *Eubulus* ille apud *Athenæum* (57): de vetulis quibusdam convivantibus ita loquitur: *Domum*, inquit, *ut ſunt ingreſſi vetuli ſtatim accubuerunt, mox adeſt corona.* Et *Silenus in Cyclope Euripidis* (58): *Non amplius* dicit, *donec te ſerto redimitum videam, guſtabo.* Pari ratione apud *Plautum* (59) *Mercurius: Capiam Coronam mi in caput, & aſſimilabo meeſſe ebrium.* Ut & *Horatius* (60):

Pete unguentum puer & Coronas.

Nec non *Propertius* (61).

Sobrius ad lites. At cum eſt impoſta Corona
Clamabis capiti vino ſubeſſe meo.

Tandem cum hocce remedium ipſo effectu teſtaretur, & utile & neceſſarium eſſe, poſteritas id ipſum conſtanter tueri cœpit, vix enim ullius Convivii apparatum ſine coronis legas (62); Imo quod neceſſitas, ut dictum, peperit, illud tempus

 inſequens

(55) *Philoxenus in opere quod Corona dicitur citante Athenæo Lib. XV. cap. 10. Conf. Paſchalius ll. cc.* (56) *Nicoſtratus apud Athenæum l. c. conf. Paſchalius l. c. & Lib. II. c 4.* (57) *Lib, XV. cap. 10. pag. 685.* (58) *Cycl. Act. IV.* (59) *Amphit. Act. III. Sc. 4. v. 16.* (60) *Carm. Lib. III. od. 14. v. 17. Lib. II. od. 7. v. 18. Conf. Lambinus in hæc loca.* (61) *Lib. IV. Eleg. 2. v. 29. vid. Scalig. in h. l.* (62) *Athenæus Lib. IV. cap. I. Horat. l. c. Seneca Lib. II. de Ira cap. XXXIII.*

inſequens aſſeruit, hominumque ſolertia ita exornavit, tamque excultum reddidit, ut ſecutis temporibus tenuis hæcce, & exilis initii res, apud omnes fere gentes, ſpeciatim vero *Romanos* (63), *Græcos* (64), *Perſas* (65), *Indos* (66), *Ægyptios* (67), *Tarentinos* (68), aliosque populos, frequentiſſimo fuerit uſu, longeque qua publice qua privatim frequentior, quam hodie vel apud nos, vel alias exiſtit nationes.

Atque ſic primus gradus, cujus aſcenſu Corona in ſublime evecta eſt, is fuit, ut compeſcendæ ebrietati caput adſtringeret: Quibus vero progreſſibus prima illa corona a primo inventorum uſu aliorſum translata, inque ſublime provecta atque propagata fuerit, ex ſequentibus *Plinii* (69) verbis clariſſime elucet: *Antiquitus*, inquit, *nulla quidem niſi Deo dabatur Corona, ob id Homerus cælo tantum eas, & proelio univerſo tribuit, viritim vero ne in certamine quidem ulli. Feruntque primum omnium Liberum Patrem impoſuiſſe capiti ſuo ex edera. Poſtea Deorum honori ſacrificantes ſumſère, victimis ſimul coronatis. Noviſſime & in ſacris certaminibus uſurpatæ in quibus hodie non victori datur, ſed patriam ab eo Coronari pronunciatur. Inde natum ut etiam triumphaturis conferentur, in templis dicandæ: mox ut & ludis darentur.* Quibus jungenda quoque ſunt, quæ hac de re *Perottus* (70) his tradit verbis: *Uti Coronis*, inquit, *niſi qui in ſacris certaminibus viciſſent, principio nefas habebatur, trans-*

---

(63) *Juven. Sat. XI. v. 122. Ovid. Metam. Lib. III. v. 555. Lib. XI. v. 91. De Arte am. Lib. I. v. 582.* (64) *Athenæus Lib. XV. cap. 5. Polyd. Vergil. de Rerum Inv. Lib. II. cap. 17.* (65) *Herodot. in Calliope. Horat. Lib. I. od. ult. v. 1. ſeq. conf. in h. l. Chabotius & Lambinus. Cicero Orat. 2. Catil.* (66) *Alexander ab Alexandro Geneal. Lib. V. c. 21. p. 289. Ed. Hackianæ. conf. Tiraquelli not. in h. l* (67) *Corn. Nepos in Ageſil. cap. VIII, 4. conf Boſius in h. l.* (68) *Juven. Sat. VI. v. 297. Conſ. Joh. Britannici not. in h. l.* (69) *Lib. XVI. cap. 4.* (70) *In Cornu Cop. Epigr. XXVII. p. 781. conſ. Cœl. Rhodiginus Lect. Antiqu. Lib. VI. cap. 19. ab init.*

tranſlatæ deinde ad Imperatores ac miltes, qui ſeſe fortiter in bello geſſiſſent, fuêre. Statuis quoque imponi cœpta & in funeribus mortuorum capitibus jungi, ac in atriis domorum, quæ per lineas ad imagines diſcurrerent, ſuſpendi ingerique in iis ſervata ſeveritas fuit. In quam rem apprime etiam faciunt ea, quibus *Paſchalius* progreſſum Coronarum demonſtrat ſcribens (71): *Coronarum natales indicavi, cum dixi neceſſitatem inveniſſe vincula ſeu ſtrophia, nunc diſpiciendum, qui factum ſit, ut res a talibus profecta initiis, brevi apud omnes gentes increbuerit; quæ nata eſt apud communes menſas mox occuparit altaria Deorum; e mapalibus, caſis, caulis, inquam, invaſerit frequentiam urbium, in regiis, in templis, in theatris nacta ſit eminentiſſimum locum, caſtris & clasſibus cupidisſime excepta fuerit; ubique ſignarit fortitudinem, victoriam, felicitatem, triumphorum celebritatem omni gloria cumularit, rerum columina & culmina monſtrarit, Regumque Majeſtatem aſſeruerit.*

Ex quibus cuilibet facile eſt colligere, non ſolum primas illas Convivantium faſcias ſive Coronas omnibus poſt inſecutis Coronis originem dediſſe, verum etiam, quibus progresſibus, a tam vili initio in ſublimioris dignitatis gradus evectæ fuerint primæ illæ veterum capitis faſciæ.

Cæterum cum ex diverſo uſu cui pedetentim adhibitæ fuerunt coronæ, diverſa quoque earundem orta ſint genera atque ſpecies, hinc propius ad earum nunc accedo enarrationem, de quibus ſequenti capite, relictus mihi dicendi locus. Sit itaque

---

(71) *Lib. II. cap. 1. conf. Joh. Er. Gerhardi Diſſ. de Corona Nov-Antiqua cap. II.*

CAPVT II.

DE
DIVERSIS CORONARVM GENERIBVS.

Coronæ pro diverſo uſu variæ. Diſtinctio earundem apud varios varia. Commodiſſime tamen ratione temporis quo inventæ & adhibitæ ſunt in Antiquas & Modernas diſpeſci poſſunt. Antiquæ duplicis fuêre generis, Pacis ſcilicet & Militiæ. Prioris generis erant Coronæ 1. Lætitiæ, & quidem vel privatæ ut Conviviales, Nuptiales, quæve has ut plurimum præcedere ſolebant, Virginales & Amatoriæ; vel publicæ, quo ſpectant Coronæ Feſtæ. Coronas Lætitiæ preſſo pede ſequebantur Exequiales ſ. Funereæ. 2. Pietatis. 3. Honoris. 4. Virtutis & Doctrinæ &c. quæve his opponuntur Coronæ Infamiæ. Militares fuerunt Obſidionalis, Civica, Muralis, Vallaris, Navalis, Ovalis & Triumphalis diverſi generis. Modernas diſpeſcimus in Coronas Imperatorias, Regias, aliarumque ſummarum Poteſtatum capitis inſignia.

Cognita ex hactenus dictis luculenter, ni fallor, Coronarum prima origine ac natalibus, par eſt, ut porro nunc de diverſis quoque earundem ex diverſo uſu ortis generibus, pro inſtuti ratione, breviter a me ſtrictimque dicatur.

Diſtinguendi autem eas ratio, non eadem omnibus. Quidam enim *Materiam* reſpiciunt, alii *Formæ* rationem habent, rurſus alii ſecundum *Subjecta* & *Perſonas*, quarum capita evinciunt, diſtinctionem inſtituunt. Nos commodiſſimam earundem diviſionem fieri putamus, ſi *Temporis*, quo natæ, inventæ atque adhibitæ ſunt, habeatur ratio. Atque ſic in univerſum primam Coronarum diviſionem facere lubet, in ANTIQVAS & RECENTIORES. *Antiquas* dico, quæ olim, multisque ab hinc ſeculis apud Græcos, Romanos, aliosque populos frequenti fuêre in uſu, hodie vero vel penitus exoletæ, vel tenuiſſimis ſuperſunt reliquiis; *Recentiores* vero ſive *Modernas*, quæ in

in hunc usque diem corruſcantibus radiis virent, inque Regum aliarumque ſummarum Poteſtatum domiciliis eminentiſſimum occupant locum, & per excellentiam propriove quaſi vocabulo *Coronæ* appellantur.

Cæterum quas *Antiquas* dicimus, duplicis illas fuiſſe generis, in lectione bonorum auctorum deprehendimus; aliæ enim *Pacis* tempore inventæ atque adhibitæ fuêre, aliæ *Bello Militiæque* inſerviebant; Ad Coronas *Pacis* refero (α) *Coronas Lætitiæ* & quidem vel *privatæ*, quales erant *Coronæ Epulares ſ. Convivales, Nuptiales*, & quæ harum anteambulones quaſi exiſtebant, *Virginales* & *Amatoriæ*; vel *publicæ*, quo ſpectant Coronæ *Feſtæ*; Has juſto ordine excipiunt, Coronæ *Exequiales*, quippe quod gaudii & lætitiæ extrema, luctus plerumque occupare ſoleat. (β) Coronæ *Sacræ ſ. Pietatis.* (γ) *Honoris*; & quæ his oppoſitæ ſunt, Coronæ *Infamiæ.* (δ) *Virtutis*, &c. De quibus ſigillatim ſuo loco pluribus. Illæ vero quæ in *Bello* ut natæ ita & auctæ ſunt, una voce *Militares* dicuntur, quibus ſingulis, diverſa fuit forma, materia atque dignitas.

Quemadmodum autem *Antiquæ* illæ non unius fuêre generis, ita & *Modernas* diſtinctas ab invicem eſſe omnibus iis perſpectuum eſt, qui penitiore Dignitatum Illuſtrium inſtructi ſunt notitia, nam ut quisque inter orbis hujus Principes potentior atque & opulentior eſt, ita hoc vel illo Regii honoris & auctoritatis ſymbolo demonſtratur atque diſtinguitur. Et hæ quidem Coronæ duplici reſpectu ſub conſiderationem noſtram venire poſſunt, quatenus ſcilicet vel ratione *Formæ* & *Materiæ*, vel ratione *Uſus* inter ſe differunt. Priori reſpectu diſpeſci eas licebit in Coronas *Imperatorias*, *Regias*, *aliarumque ſummarum poteſtatum*; Ratione vero *Uſus*, quædam ſunt *quotidiana Regiorum capitum geſtamina*, aliæ autem *in ſolenni tantum pompa, die inſigni, re illuſtri & loco celeberrimo*, eadem ornant atque evinciunt.

Et ſecundum hanc diſtinctionem, ſpecialem nunc earundem inſti-

inſtituemus conſiderationem, ſed propoſiti memores, breviter & in compendio. Sequitur igitur hoc ordine

Sectio I.

DE CORONIS ANTIQVIS

& quidem

Classis I.

DE CORONIS PACIS.

Ut autem recto in his cancellis ad metam properemus tramite, primo ſtatim loco ex numero Coronarum Antiquarum eas lubet contemplari, quas *Pacis Coronas* diximus; ex quibus in limine ſtatim oculis noſtris ſeſe ſiſtunt,

Articulo I.

CORONAE LAETITIAE.

Pax enim optima rerum, pacisque tempore omnia florent, omnia rident, tunc nuptiis, tunc conviis optimus locus, tunc non ſolum ea quibus ſenſum natura dedit, ſed etiam tecta atque agri lætari videntur (1). Quemadmodum vero *Lætitia duplex* eſt, *privata* cujusque, orta in Conviviis & Nuptiis, alia *publica*, cum & ſinguli & univerſi ob rem proſpere feliciterque geſtam divinæ bonitati gratias agunt, atque lætantur, ita & Coronæ illæ quæ prodendæ huic lætitiæ tali tempore inſerviebant, duplicis fuêre generis.

Ad

(1) *Cic. pro M. Man. & pro Leg. Agria.*

Ad lætitiam privatam ſpectant illæ, quarum ſibi ipſi quisque hanc vel illam imponebat, ut cuique ſua ſors præbebat quo gauderet; Tales erant

I. CORONAE CONVIVIALES.

Ratio Tractationis, Nominis & Appellationis. Earum Diverſitas. Primæ convivantium Coronæ erant ſtrophia ex re qualibet obvia adque vinciendum caput idonea. Has, quæ ſequebantur, ex floribus & herbis odoriferis conſtabant, & quidem vel ex uno flore, vel ex mixtura multorum. Hederacea omnium princeps & frequentiſſima; hinc Bacchi olim, hodie vero cauponarum ſignum hedera. Sub roſa dictum, quid ſignificet? Hyeme cum flores non eſſent, aureæ & argenteæ adhibebantur. Coronis his aviculæ ab Ægyptiis fuerunt ſuſpenſæ. Triplex harum coronarum uſus. Ob ſingularem utilitatem Diis a gentilibus conſecratæ, imo & Regum dona factæ. Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ omnem Coronarum uſum damnarunt. Scriptores de Corona Epulari.

A Convivalibus veluti origine prioribus initium ſumentes, materiam earum nec non cauſſam ac figuras demonſtrabimus. Dicuntur vero *Conviviales ſ. Epulares* a Conviviis veterum, in quibus natæ ſecutisque temporibus auctæ etiam atque exornatæ fuerunt. Hæ cum eo fini adhiberentur, ut convivantium capita, ceu ſupra demonſtratum eſt, vincirent atque adſtringerent, minuendæ ſcilicet ac ſedandæ e vino gravitatis cauſſa, hinc e *lana & lino, arundine, ſalice Amerina*, omnive alia materia plectili, adque vinciendum caput idonea, factæ ſunt (2). Quamobrem principio non tam Coronæ, quam *ſtrophia* (ἀπό τȣ̃ ςρέφειν) h. e. *faſciæ* ſive *vincula* dictæ ſunt,

C licet

(2) *Athenæus Deipnoſ. Lib. XV. cap. 3. 4. Coel. Rhodiginus Lect. Antiq. Lib. XXVII. c. 26. Aringhius Roma Subter. Tom. II. Lib. VI. c. 49. §. 1.*

licet poſtea idem ipſum fuerunt quod Coronæ, ut pluribus probatum id dedit, laudatus jam dum *Paſchalius* (3).

Cum vero mutabile ſemper tempus, nihil in præſentibus immutabile linquat, factum inde eſt, ut ſucceſſu temporis, ubi homines remedium hoc & utile & neceſſarium experirentur, oculorum pariter & narium delectationem jam expetentes, ſalubri huic invento decus & ornamentum adjicerent, repudiata igitur vili illa & ubique obvia materia, primum ex integris frondibus & intenſis coronas nectebant, deinde ex foliis ac floribus iisque odoriferis, ſpecioſis ac medicamentoſis, quos funiculis invicem ſuebant atq; ligabant (4), quæ res in effuſiſſimum poſtea evagata eſt luxum (5), ita ut prima illa rudis & ſimplex Corona ut ridicula & inepta, ludibiro tandem habere cœperit, imo quod nexibus tantum & viglibus eſſet idonea, *Coronamentum ruſticum* appellata fuerit (6).

Differebant itaque primæ illæ, & quæ has conſecutæ ſunt, convivantium Coronæ eo, quod illæ vincula ſolum & ligamina eſſent, e re qualibet obvia, capitis videlicet arterias adſtringentia, ne vini vapores ad cerebrum permearent, hæ vero ex variis vegetabilibus nexæ, quæ naturali quadam facultate calorem e vino refrigerabant, ebrietatis impetus reprimebant, adeoque capitis dolores mitigabant. Poſterioris generis Coronæ quædam ex uno conſtabant flore, aliæ vero ex artifice plurium mixtura; quæ ex uno, ejus unde conſtabant floris nomen ſortiebantur, qualis erat Corona *Roſea*, e *ſmilace*, *ſpina alba*, e *pulegio*, *ex amethyſto*, *foliis oleæ* &c. multiflores, quæ ex *roſis*, *violis*, *ſmilace*, *quinquefolio*, *pulegio*, *myrto*, *nardifolio*, *liliis*, *apio*

(3) *Lib. I. cap. XI. pag. 33.* (4) *Vid. Salmaſii Exercit. Plin. pag. 371 & 1000.* (5) *Athenæus l c. cap. 5. Pierius in Hierogl. Lib. XLI. cap 24. pag. 304. E. F. Hieron. Mercurial. Var. Lect. Lib. III. cap. 9.* (6) *Athenæus loc. cit.*

apio aliisque floribus inter ſe mixtis nexæ atque contextæ fuêre (†), quos adſtringendi refrigerandique vim habere, adeoque vini exhalationes arcere, æſtuantes potione refrigerare, capitisque dolores ſedare, variis in locis probatum dedit *Plinius*, nec non *Plutarchus* (7), *Athenæus* (8), alii.

Cæterum quod Coronæ iſtæ ex miro flore plecterentur *floriales*, & *plexiles Coronæ*, a ſerendo autem *ſerta* & *ſervia* dictæ ſunt (9).

Ejusmodi autem multifloreæ Coronæ iconem ea hic ſubjicere forma placuit, prout in capitibus convivantium lapidibus & marmoribus inciſis, paſſim conſpicitur.



Inter omnes vero Coronarum Epularium ſpecies, *hederacea* præ aliis uſu frequens fuit, quippe quod hedera non ſolum præ aliis obvia, verum etiam ſingulari facultate refrigerandi ſedandique capitis dolorem prædita ſit, ut docet *Athenæus* (10). Hinc *Plutarchus* (11) *Bacchum*, ait, *non ea tantum*

(†) *Athenæus Lib. XV. c. 3. 4. 5. 6. 7. Horatius Carm. Lib. I. Oda 38. Lib. IV. Od. 10. 11. vid. Lambinus in h. l. Conf. Coel. Rhodiginus loc. cit. Stuckius Antiq. conv. Lib. III. cap. 16. Mich. Neander in Annot. ad Tryphiodori Poëma de Ilii excidio pag 109.* (7) *Sympoſ. Lib. III. Quæſt. 1. 2.* (8) *Locis cit. conf. Philoſtratus in vita Apoll. II c. 27. pag. 79. Ed. Olearii. Paſchalius l. c. Stuckius loc. cit.* (9) *Plinius Lib. XXI. cap. 2. vid. Dalecamp. & Harduinum in notis & emend. in h. l. Conf. Fabri Theſaurus verbo Sero. Turnebus Adverſ. Tom. I. Lib. II. cap. 30. Salmaſius in Exercit. Plinianis pag. 371. 1000. 1068.* (10) *Lib. XV. c. 5. Plinius Lib. XVI. c. 34. & Lib. XXIV. c. 10. Plutarchus l. c.* (11) *Loc*

ratione medicum eſſe habitum, quod vinum invenit, medicamentum validiſſimum & ſuaviſſimum, ſed quod hederam quoque facultate ſua vino maxime reſiſtentem in honore eſſe docuit, eaque baccbantes coronavit, ut minus a vino læderentur, hedera ſuo frigore ebrietatem reſtinguente. Vnde pro ſigno quoque tam Bacchi quam etiam vini vendibilis facta eſt hedera, ex quo Proverbium: *Vino vendibili non opus eſt hedera* (12). Adhibebatur autem in conviviis hedera, vel ſola (13), vel mixta cum ſmilace, narciſſo, violis, aliisque floribus (14), cujus rei variam adducit rationem *Lambinus*, poſtque hunc *Torrentius* (15).



Iconem vero Hederaceæ Coronæ ex *Ciampino* deſcriptæ, hic tibi intuendam celatoris manu curavimus.

Cæterum de Corona Roſea illud quoque notandum, quod apud veteres *ſilentii ſymbolum* fuerit; unde ſolemnis apud bonos auctores vox eſt, *ſub roſa dictum*, quo ſignificare voluerunt, omnia dicta factaque inter epula & pocula occurrentia, taciturnitatis quadam lege ſilenda & tegenda eſſe (16),

Nam vinum vel prudentem cantare cogit,
Atque tacenda loqui, nec idonea dicere dictu (17),

facit enim loquaces, intempeſtivaque garrulitate & animi elatione homines implet (18), quæ inanis inter pocula loquacitas

---

cit. qu. 1. (12) *Eraſmus Chiliad. II. Cent. 2. num. 20.* (13) *Athenæus loc. cit. Horat. Lib. IV. od. 11. v. 4. vid. Lambinus in h. l. Plinius loc. cit.* (14) *Athenæus l. c. Plinius l. c.* (15) *In Notis ad Horat. Lib. I. Od. 17 & 38. Lib. IV. Od. 11.* (16) *Stuckius l. c. pag. 352. b.* (17) *Plutarchus de Garrul. T. 2. p. 503.* (18) *Idem in Sympoſ. Lib. VII. Probl. 10.*

citas pravos animi motus injicit, eoque impellit, ut multa loquantur ac perpetrent, quæ ſobrii nunquam facerent. Quem morem tritum illud carmen graphice depingit

Eſt roſa flos veneris cujus quo facta laterent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor,
Inde Roſam menſis hoſpes ſuſpendit amicis,
Conviva ut ſub ea dicta cavenda ſciat.

Hujus Coronæ figura atque habitudo ex *Ciampini* Tractatu elegantiſſimo expreſſa, ita ut hic vides, ſeſe habet.



Imo & *corona Hypoglottis* ſæpe aderat, qua tanquam fræno utebantur ad loquacitatem arcendam, plerumque inter pocula oriri ſolitam: quæ Corona ex paſtillorum maſſa compacta fuit (19).

Hyeme vero cum roſæ aliique flores non eſſent, luxu creſcente ex ramentis aureis argenteisque, ad formam vernarum Coronas conficiebant veteres, ſibique adaptabant, quas pro dignitate & meritis diſcumbentium, dignioribus ponderoſiores, aliis leviores diſtribuebant, easque ejusmodi unguenti genere illinibant vel irrorabant, quod refrigerandi ſedandique vim habebat (20). Quod tamen coronamenti genus inconcinne capiti adaptari ſapientiores dixerunt, parumque convenire ſapientibus, quippe quod tales coronæ revera nulli ſint uſui, neque ſectentur appetitum naturalem. Imo ipſas quoque flo-

(19) *vid. Athenæus Lib. XV. cap. 6. pag. 677. Caſaub. in h. l. Paſchal. Lib. II. cap. 4. p. 79. Ciampinus l. c. pag. 107. ſeqq.* (20) *Tacitus An. II. cap. 57. Athenæus Lib. II. cap. 9. p. 48. Lib. XV. cap. 14. p. 692. Petronius in Fragmento Traguri reperto pag. 31. Ed. Reineſi. vid. Schef-*

reas in conviviali uſu penitus deteſtati ſunt olim, homines a Muſis non ſequeſtrati, qui laureas potius, & ex arborum foliis nexas, adhibebant, quod illæ, utpote puellares, colludentibus virgunculis & mulieribus aptiores ſint, quam ſeverioris frontis hominum congreſſui. Alii contra admiſſis florialibus, Coronas ex foliis improbant, neque decere, ajunt, hominem ornari arborum deformitate, foliis ſcilicet violenter præterq; naturæ rationem direptis, idque ex ea ratione, quod foliis & frondibus avulſæ plantæ & arbores veluti doleant & mordeantur, ut *Plutarchus* loquitur (21).

Interea illud quoque ſingulare plane eſt, quod *Feſtus* (22) de Ægyptiis commemorat, ſcilicet ſolitos fuiſſe *aviculas quasdam* (quas δαγνάδες vocabant) *Corollis ſuis alligare*, quarum & cantu aſſiduo, & crebris roſtri unguiumque puncturis efficeretur, ne ipſi inter potandum obdormiſcerent; quibus narratis nunquam certe fidem quis daret, niſi tanti ſcriptoris auctoritas lepidam & ridiculam iſtam conſuetudinem nobis commendaret. Qui ſane luxus vix unquam ſane mentis hominibus probabitur. Et hoc ſcilicet, illud eſt, quod laudatus *Plutarchus* (23) ait, cum invehitur in illos, *qui non contenti propriis bonis, externa accerſſunt & ſuperinducunt.*

Quantum vero ad *uſum* Coronarum Epularium attinet, tripliciter iis uſos eſſe antiquos, auctor eſt *Scholiaſtes Apolloni Rhodii* (24), ita ut alii ſuperius capiti eas imponerent (25), alii

---

ferus in notis. Plinius Lib. XXI. c. 2. vid. Harduinus in h. l. Hieron. Mercurialis Var. Lect. Lib. III. cap. 9. Fulvius Urſinus in Appendice ad Ciacconii Lib. de Triplinio pag. 265. Paſchalius Lib. II. cap. 3. Mart. de Roa in Singulari. P. 1. Lib. III. cap. 1. (21) *Plutarch. Symp. Lib. III. qu. 1. conf. Rhodigin. Lect. Ant. Lib. XXVII. cap. 26.* (22) *De verb. vet. ſign. voce Dagnades. conf. Muretus ad illud Catulli: Cœnabis bene &c.* (23) *Sympoſ. Lib. VIII. qu. 8.* (24) *Ad Lib. II. Argonaut. v. 159. pag. 158. conf. Natalis Comes Mythol. Lib. I. cap. 10.* (25) *Athenæus Lib. XV. cap. 5. Virgil. Ecloga VI. 16. vid. Pimpon.*

alii ad tempora & ſupercilia usque deprimerent; unde modo frons, modo tempora coronata dicuntur (26), *Græci* vero & præſertim *Aeoles* & *Iones* (27), imo & ipſi Romani (28) circa collum quoque in pectus pendentes Coronas in Conviviis gerebant ex quo uſu hæ ipſæ coronæ, *Collares* & a vaporandi uſu *hypothymides* nuncupatæ ſunt (29), quas tamen toties reponebant, quoties potaturi eſſent (†), alii denique totam faciem ejusmodi coronis contegebant, ceu colligi id ipſum licet ex *Lucretio* quando ſcribit (30):

Hoc etiam faciunt ubi diſcubuère, tenentque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis.

Eas vero quæ faciem tegebant Coronas, a mulieribus plerumque [quæ itidem luxuria ſæpe diffluebant coronisque utebantur (31)] adhibitas eſſe, tegendo videlicet ac velando pudori, auctor eſt *Paſchalius* (32), quem ritum ipſe quoque *Propertius* indigitare videtur, quando *Cynthiam* ſequentibus alloquitur verbis (32):

Jam bibe formoſa es., nil tibi vina vocent:
Cum tua præpendent demiſſa in pocula ſerta
Et mea deducta carmina voce legis,
Largius effuſo madeat tibi menſa Falerno
Spumet & aurato mollius in calice.

Imo

---

tius in Paralip. Virgilianis h. l. Valerius M. Lib. VI. cap. 9. In Externis § 1. Horatius Lib. I. od. 17. v. penult. vid. Lambinus in h. l. (26) *Athenæus l. c. Virgil. Aeneid. VII. 135 Juvenalis Sat. XV. 50. Horat. Lib. IV. od. I. 32. Propertius Lib. I. El. 3, 21.* (27) *Lucianus ad Nigrinum. vid Palmerius in Exercit pag. 536. Plutarchus Sympoſ. III. qu. 1. Athenæus Lib. XV. cap. 5.* (28) *Cicero Act. V. in Verrem. Propert. Lib. IV. El. VI. 72. Horatius Lib. II. Sat. III. 256.* (29) *Athenæus Lib. cit. cap. 5. & 11. Plutarchus loc. cit. Conf Cœl Rhodiginus loc. cit pag. 1530. E.* (†) *Vid. Martialis Lib. IX. Epigr. 94. conf. Mateneſius de Ritu bibendi per ſanit. Lib. I. cap. 7.* (30) *Lib. III. pag 261 Edit. Jo. Nardii.* (31) *Aelianus Var. Hiſt. Lib. I. c. 18.* (32) *Lib II. cap. 2. pag. 68.* (33) *Lib. II. El. 24. v. 36. ſeqq.*

Imo & pedes convivantium unctos Coronisque vinctos fuiſſe teſtis eſt *Petronius* (34).

Nec tamen compotantes ſolum coronati fuêre, ſed ipſos quoque *Miniſtros* (35) coronis exornatos, ipſaque poculorum & craterum ora iisdem præcincta fuiſſe conſtat, idque non tam decoris quam hilaritatis & libationis gratia, ne ſcilicet vinum largiter infuſum exinde inter bibendum efflueret (36); quin etiam ipſa *fercula* una cum *pateris* ac *patinis* iisdem erant exornata (37); Cujus rei uſus ad noſtra usque tempora adeo increbuit, ut in quibusdam locis nullum vel Nuptiale vel Puerperale convivium celebrari videas, in quo ejusmodi Coronæ patinis impoſitæ, non ſint conſpicuæ.

Primam vero hujus Coronæ Originem quod attinet, quisve primus eam adhibuerit, non eadem apud omnes ſententia. *Valerius M. Ionas* in lautioribus culinis primum eas inveniſſe aſſerit (38). Alii impiis & ad ritus gentilium declinantibus *Judæis*, occaſione dicti *Sap. II. 8.* ad ſcribere nituntur (39). Alii denique *Dionyſium* quendam inventæ hujus coronæ auctorem eſſe tradunt, is enim quum vinum comperiſſet jucundiſſimum, quo liquore facile erat ſecum diſcumbentes inebriari, coronam hederaceam conſuluiſſe capiti imponendam, ut ederæ frigiditate vapores acres & calidi moderarentur & repercuterentur (40), verum enim vero cum uſus Coronæ Epularis

---

(34) *In Fragmento Traguri reperto pag. 42. conf. in hanc rem Th. Reineſii Scholia in h. l.* (35) *Sammonicus ap. Macrobium Lib. II. cap. 12.* (36) *Homerus Ilyad. a. v. 470. Quem verſum ipſe Virgilius propemodum ad verbum expresſit Lib. I. Aen. v. 718. vid. Servius & Taubmannus in h. l. Conf. Virgil. Lib. II. Georg. v. 528. Aen. III. v. 525. Turnebus Adverſ. Tom. I. Lib. 21. cap. 13. Lipſius Antiq. Lect. Lib. III.* (37) *Athenæus Lib. I cap 11. Conf. Paſchalius Lib. II. cap. 3. pag. 73* (38) *Lib. II. cap. 6. § 1. de Externis.* (39) *vid. Cornelius a Lapide in h. l. conf. Maderum de Coronis pag. 18.* (40) *Vid. Jo.*

laris æque tam late patuerit quam ipſa convivia, cui tuto adſtipulare poſſis, aſſerere non audeo.

Denique hoc etiam, de Coronis convivialibus obſervari meretur, quod hæ ipſæ propter inſignem quem bacchantibus olim præbuêre uſum, tanti apud veteres Ethnicos fuerint pretii, ut Diis eas conſecrarent ſuis, imo ſucceſſu temporis luxuve creſcente, eo necti cœperunt ſumtu, ut dona quoque Regum factæ ſint. Qua occaſione prima illa corona ex mapalibus non ſolum Deorum altaria occupavit, ſed & frequentiam urbium invaſit, inque Regiis honoratiſſime fuit excepta ceu pluribus id ipſum ex *Athenæo* (41), *Bullengerus* (42), & ex *Clemente Alexandrino* (43), *Paſchalius* (44), probatum dederunt.

Chriſtianis contra primitivæ Eccleſiæ, propter ſuperſtitionem, luxuriam, multaque alia fœda, quæ intervenientibus his Coronis perpetrata ſemper fuêre, tam exoſæ erant, ut acriter admodum & ſevere in earundem uſum inſurgerent; Provoco hac in re teſtem *Tertullianum* (45), nec non *Clementem Alexandrinum* (46), acerrimos illos Coronarum oſores, quorum tamen placitis docte non minus quam modeſte reſpondet *Paſchalius* (47); *Aringhius* vero *pertinaciter Tertullianum hoc paſſu deliraſſe* ſcribit (48), vehementerque eum ex hoc capite perſtringit (49), quod ſimpliciter omnem Coronarum uſum improbaverit. Interim tamen videmus hanc Patrum indignam in rem innocentem cenſuram, adeo faſcinaſſe Chriſtianorum primiti-

D miti-

Rav. Textoris Officina Hiſt. & Poët. Lib. II. cap. 2. pag. 300. (41) *Lib. XV. cap. 5. pag. 674.* (42) *de Conviviis Lib III. cap. 24. p. 289.* (43) *Pædag. Lib. II. cap. 8.* (44) *Lib. II. cap. 3 pag. 71.* (45) *De Corona Milit. & in Apolog.* (46) *Loc. cit. conf. Pfanneri Obſerv. Eccl. Tom. I. obſ. IV.* (47) *Lib. I. cap. 15. pag. 46. Lib. II. cap. 1. pag. 63. ſeqq.* (48) *Roma Subter. Tom. I. Lib. I. cap. 25. §. 15.* (49) *Tom. II. Lib. VI. cap. 49. §. 4.*

mitivæ Eccleſiæ animos, ut *Arcadius* & *Honorius* Imperatores omnem plane coronandi morem tanquam idololatricum publico edicto ſuſtulerint, vide ſi placet *Cod. Theod. L. Nullus omnino. De Pag. Sacrif. & Templis.* (50).

Cæterum iſthoc in conviviis coronamenti genus *Judæis* quoque in uſu fuiſſe *Cornelius à Lapide* (51), & poſt eum *Aringhius* (52) docent, idque occaſione dicti apud *Ezechielem Prophetam cap. XXIII, 42.* quo loco de intemperantibus illis hominibus, qui ad ſuas olim turpitudines explendas Hieroſolymam veniebant, Propheta ſequenti modo fatur: *Poſuerunt armillas in manibus eorum, & Coronas ſpecioſas in capitibus eorum,* ex quibus verbis dicti auctores colligunt Judæos, ut eo magis blandas inter delitias laſcivirent, Coronas quoque tanquam lætitiæ ſymbolum capitibus impoſuiſſe. Cui tamen opinioni contrarius plane eſt *Tertullianus*, qui expreſſis verbis dicit (53): *Populum Dei, nec publicæ lætitiæ, nec ingenitæ luxuriæ, Coronas admiſiſſe, cumque poſt cibum & potum ad ludendum exſurgerent, ſine Coronis id factum fuiſſe, neque Coronas tacuiſſet Eſaias* (54), *quando ſcribit: Cum tympanis, & tibiis, & Pſalteriis bibunt vinum, ſi unquam hic uſus fuiſſet in Dei populo.* Cui ſententiæ *Martinus de Roa* quoque ſubſcribit (55), dum *Coronas Conviviales nihil ad Ebræos attinere* ſcribit, *quoniam ejus moris apud eos nulla veſtigia, cernerentur.* Imo nec apud Græcos antiquos ullum earum fuiſſe uſum, ex *Clemente Alexandrino* (56) idem auctor nos edocet (57). Quantum vero citatum Ezechielis locum attinet, in illo non de Convivialibus, ſed de iis Coronis ſermo eſt,

---

(50) *Conf. Fabrotus & Gothofredus in Notis ad h. l.* (51) *Comment. in hunc Ezech. locum.* (52) *loc. cit. Tom. I. Lib. VI. cap. 49. §. 1.* (53) *Loc. cit. cap. X.* (54) *Cap. V, 12.* (55) *In Singularibus P. I Lib. III. cap. 1. pag. 234.* (56) *Pædag. Lib. II. cap. 6.* (57) *Loc. cit.*

eſt, quibus datis fœminæ Hieroſolymitanæ viros Arabiæ ad concubitum emercatæ fuerunt (†).

Atque hæc quæ de *Coronis Epularibus* dicere habui, pro ratione inſtituti ſufficiant. Plura atque doctiora qui avet, eos adeat ſcriptores, qui de hoc Coronamenti genere, fuſius egerunt. Apud Græcos quidem de Coronis, quæ nocerent vel prodeſſent capiti, ſcripſerunt *Mneſtheus* & *Callimachus* Medici, ceu teſtatur *Plinius* (58); Eandem quoque operam ſuſcepit *Theophraſtus*, & ab *Athenæo* (59) citati *Philonidis*, *Apollodori*, *Ælii Aſclepiadis* atque *Myronidis de Coronis & Unguentis Libri* huc quoque referendi veniunt, quorum vero nil niſi titulos edax rerum tempus, ſuperſtites nobis reliquit (60). Ex recentioribus autem, de univerſo veterum in conviviis bibendi, coronandi unguendique ritu atque inſtituto, præter eos quos hactenus allegavimus, legi merentur, *Alexander* ab *Alexandro* (61), *Polyd. Vergilius* (62), *Juſtus Lipſius*, (63), *Stanislaus Kobierzycky* (64), *Jo. Phil. Thomaſinus* (65), *Joh. Argolus* (66), *Caſp. Barthius* (67), *Car. Paſchalius* (68). *Jo. Maderus* (69), *Theodorus Schneider* (70), *Joh. Grefe* (71). Sigillatim tamen de Coronarum Epularium varia materia, uſu & pretio, judice *Demſtero* (72), tam eleganter nemo ſcripſit ac *Artemidorus* & *Servius*, ille *Lib. I. Oneicrocat. cap. 79.* hic in *Commentario ad Virgilii Æneid. Lib. VII.*

 Viſis

(†) *vid. Grotii notas in h. l.* (58) *Lib. XXI. cap. 3. §. 9.* (59) *Deipn. Lib. XV.* (60) *Conf. Paſchalium in Præf. ad Lect. Maderum l. c. pag. 19* (61) *Geneal. Dierum Lib. V. cap. 21.* (62) *De Invent. Rer. Lib. II. cap. 17.* (63) *Antiq Lect. Lib. III.* (64) *De Luxu Rom. cap. 10.* (65) *De Teſſeris hoſpital. cap. 18.* (66) *ad Lib. I. Onuphrii de Lud. Circ. cap. XVI.* (67) *ad Claudiani Gildon. Bell. v. 184.* (68) *Lib. II. cap. 2. 3. ſeqq.* (69) *loc. cit. pag. 19 ſeq.* (70) *De Στεφανοφορία c. VII.* (71) *Diſſ. de Coronis Epularibus.* (72) *Ad Roſini Ant. Rom. Lib. V. cap. 30. pag. 870.*

Viſis itaque & perluſtratis hactenus Convivantium Coronis, ſecundo jam loco in Claſſe Coronarum Lætitiæ, ſeſe nobis ſiſtunt *Coronæ Nuptiales.* Ante vero quam harum ordior tractationem, dabitur opinior, venia, ut de Coronis tam *Virginalibus* quam *Amatoriis ſ. Laſcivis* pauca præmittere queam, præſertim cum iſtæ, Nuptialibus ut plurimum anteambulones fuerint, adeoque augurium ſæpe inſtantium nuptiarum. Prodeant igitur hic tanquam propria ſede, locoque convenienti

II. CORONAE VIRGINALES.

Coronarum Virginalium Etymologia. Materia ex qua nexæ fuerunt. Veneri eas olim dedicare ſolebant virgines. Uſus earum hodie in totum fere evanuit. His oppoſita ſunt Coronæ proſtibulorum.

Virginalium Coronarum nomine, illæ nobis veniunt, quæ olim a Virginibus & puellis, extra matrimonii vinculum caſtitati litantibus geſtari conſuevêre, tanquam illibati pudoris & Virginitatis inſigne, Germanis hodie der Jungfern-Crantz dictæ (73). Primis equidem temporibus *coma ſoluta & libera* (74), deinde Corona ex *pinu* (75) illibatæ virginitatis nota atque character habita fuit; Ubi vero maturæ factæ, a virginitate ad conjugalia tranſire cuperent vota, *myrtea* (76), imo & *florea Corona*, velut index inſtantium aut præſentium nuptiarum, eis impoſita eſt. Ne vero gratis hoc dixiſſe videar teſtem adduco *Claudianum* (77), inter alia ſequentia etiam de *Proſerpina* canentem:

Nunc

(73) *Vid. Turnebus Adverſ. Lib.* XXIX. *cap.* 4. (74) *Virgil. Lib.* I. *Æneid. v.* 323. *vid. Servius & Taubmannus in h. l. conf. Paſchal. Lib.* II. *cap.* 15. *pag* 125 (75) *Achilles Tatius Lib.* VIII. *Callimachus Hymn. in Dian.* 21. *Ovid. Faſt. Lib. II. v.* 25 *ſeqq.* (76) *Ariſtophanes cit. Paſchal. Lib.* VII. *cap.* 19. (77) *de Raptu Proſerp. Lib:* II. *v.* 140. *vid. Barthius in h. l.*

Nunc ſociat flores, ſeſeque ignara coronat,
Augurium fatale tori.

Idem & *Clytemneſtra* confirmat, quando Achillem his apud *Euripidem* (78) alloquitur verbis: *Tibi*, inquit, *adduxi Iphigeniam natam meam, & quidem coronatam in hoc, ut nubat.* Hanc Coronam *Ovidius* (79) *tenuem* vocat, quam virgines mox nupturæ oſculo prius dato valere jubebant (80), Venerique eam dedicare ac conſecrare ſolebant (81).

Hodie mos ille antiquus coronandi virginum capita floreis Coronis, apud pleroſque Europæ populos penitus exolevit, nec recordor in peregrinationibus meis usquam me vidiſſe, puellarum capita quotidiano uſu hujus generis coronamento & geſtamine, condecorari, apud Wallachos vero indubitatos Romanorum poſteros, morem hunc hodienum adhuc recenti vigere conſuetudine, quodam in loco (82) manu opifera pluribus executus ſum.

Recte proinde proſtibula meretricia luculento hoc virginitatis inſigni privantur, contra ejusmodi potius Coronis dehoneſtantur, qua impudici eorum mores aliis innoteſcunt. Tales olim fuerunt *laneæ* (83), vel *urticeæ* vetulis a Talmudicis dicatæ (84), hodie multis in locis *ſtramineæ* vel ſpineæ. De quibus infamiæ Coronis infra ſuo loco pluribus.

Virginalibus proximo gradu, ut paulo ante dixi, affines ſunt

(78) *Iphigenia in Aul. Act.* IV. (79) *De Arte am. Lib.* I. *v.* 31. (80) *Apud Valerium Flaccum Argonaut. Lib.* VIII. *6.* (81) *Vid. Heinſius in not. ad Horat. pag* 16. (82) *Im Allgemeinen Hiſtoriſchen Lexico Artic. Wallachey.* (83) *Ælianus Var. Lect. Lib.* XII. *cap.* 12. (84) *vid. Buxtorffii Lexicon* Talmud, *p.* 1046.

III. CORONAE AMATORIAE ſ. LASCIVAE.

Ratio appellationis. Uſus earum ac materia varia. Mittebantur non ſolum ultro citroque ab amantibus, ſed januæ quoque amicarum iis exornatæ. Earum reliquiæ quibusdam in locis hodienum adhuc vigent atque ſuperſunt.

Amatorias ſive *Laſcivas* Coronas dicimus, quas ipſæ quandoque amicæ dabant aut mittebant amantibus, licet rarius & inuſitatius, aut amatores ad amicas, quod erat frequentiſſimum; qui enim vel plecterent, vel mitterent Coronas, amare eos, & in cenſu cupidinis eſſe cenſebantur (85). Mittebantur vero non ſolum ultro citroque ab animantibus verum vagi illi amatorum cupidines *januas* quoque amicarum ac *fores* Coronis exornare, unguentoque perfundere ſolebant, imo cantu etiam, ac vigiliis noctem ibi tranſigere, tandem vero cum ad tædium usque excubuiſſent miſeri, corollas quas in capite geſtabant, in limine ibi vel diſſipatas relinquebant, vel ante fores ſuſpendebant (86). Quo ſenſu *Ovidius* (87) ſic Coronam alloquitur:

At tu non lætis detracta corona capillis
Dura ſuper tota limina nocte jace.
Tu Dominæ, cum te projectam mane videbit,
Temporis abſumti tam male teſtis eris.

Vertumnus Pomonæ ictus amore apud eundem Poëtam (88):

Sæpe

(85) *vid. Paſchalius Lib.* II. *cap.* 5. (86) *Plaut. Curcul. Act.* I. *Sc.* 1. 88. 89. *vid. Taubmann. in h. l. Perſius Sat. V.* 165. *vid. Marcellinus & Cornutus in h. l. Lipſius Ep. Quæſt.* Lib. IV. 22. (87) Lib. I. *Amor. El.* VI. 69. *ſeq.* (88) *Metam.* Lib. XIV. v. 707. *ſeq.*

Sæpe ferenda dedit blandis ſuo verba tabellis.
Interdum madidas lacrymarum rore coronas
Poſtibus intendit, poſuitque in limine duro
Molle latus.

Ita & *Lucretius* (89) de ineptiis amantium:

- - - At lacrimans excluſus amator
Floribus & ſertis operit poſtesque ſuperbos
Ungit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.

Tibullus dum vere & ſincere amare ſe profitetur, ex ſequentibus id ſciri vult verbis (90):

Te meminiſſe decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum poſti florida ſerta darem.

Erant autem hæ amantium Coronæ ut plurimum *Roſeæ*; Roſa enim in tutela Veneris, propter uſum rei venereæ, cujus videtur eſſe ſymbolum (91). Unde & *Coronæ Venereæ* dictæ ſunt, teſtatur id ipſum *Ennius* (92) dicens:

Ibant malam videre Veneream Corollam.

Ex quo amantium apud veteres ritu, tanquam fonte & prima ſcaturigine, derivandam eſſe puto conſuetudinem illam in hunc usque diem multis locis receptiſſimam, qua amicarum domus, ipſis Kal. Majis, frondibus imo integris quandoque arboribus, inter fidium tibiarumque ſonos, exornare & condecorare ſolent, vagi illi amantium cupidines.

Hæc de iis Coronis, quas Nuptialium anteambulones diximus. Nunc ex diverticulo in viam rurſus. Ubi in ipſo ſtatim limine nobis occurrunt

IV. CORONAE NVPTIALES.

Ratio Appellationis. Materia ſecundum diverſorum populorum mores, varia. Ritu antiquo non ſolum ſponſus & ſponſa, ſed affines quoque, domeſtici,

---

(89) *Lib.* IV. 977. (90) *Lib.* I. *El.* 2. *v.* 13. *ſeq. vid. Muretus ad h. l.* (91) *Lycophronides ap. Athenæum l. c. conf Paſchal.* Lib. III. *c.* 6. (92) *In Aſoto.*

ſtici, omnesque convivæ, coronati in nuptiis conſpiciebantur. Imo & thalamus, ipſæ januæ, omnesque domus nuptialis aditus, coronis exornata fuêre. Ipſe etiam Hymenæus nuptiarum Deus corona honeſtatus. Mos coronandi ſponſos & ſponſas, non ſolum apud gentiles, ſed & Judæos frequens fuit. Chriſtiani vero primitivæ Eccleſiæ ut ab aliis, ita & Nuptialibus Coronis penitus abſtinuerunt. Secutis autem temporibus aliter animati. Eccleſiæ Græcæ circa coronationem Neogamorum ceremoniæ ſingulares notantur. Hodie apud omnes fere nationes coronarum Nupt. uſus frequentiſſimus. Earum apud antiquos ſignificatus uſusque peculiaris. Uxores unde ſic dictæ? Scriptores de ritu Nuptiali apud Veteres.

In claſſem coronarum Lætitiæ porro nunc collocamus Coronas Nuptiales quibus *ſponſæ* (1) & *ſponſi* ipſo Nuptialis feſtivitatis die exornari ac condecorari apud veteres mos fuit. Nectebantur autem hæ ipſæ primitus ex floribus, & quidem ejus generis, qui ut colore, ita & odore ad rem tam lætiſſimam condecorandam inveniri poterant, plerumque tamen ex *Myrto* fiebant, propterea quod myrtus, Veneri ſacra eſſet (2). Nec tamen apud omnes eadem ratio, *Angli* enim ſponſas olim *ſpicea* (non *ſpinea* ut *Val. Müllerus* (3) ex *Schneidero* (4) falſe exſcripſit) Corona exornabant (5), *Luſitanis Roſæ* in uſu erant (6), *Bœotii aſparaginem* (7), *Locrenſes floreas* adhibebant (8); imo & *Olivæ* in Nuptiis locum fuiſſe, *Sidonius Apollinaris* (9) planum reliquit ſcribens:

Amborum tum Diva comas viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dextras ac foedera mandat.

Rhutenis

---

(1) *Jul. Pollux Onom.* Lib. *III. cap.* 3. *n.* 4. (2) *Plut. Quæſt. Rom. pag.* 268. *Virgil. Ecl. VII.* 62. *vid. Servius & Taubmannus in h. l. Plinius Lib. XV. cap.* 29. *conf. Paſchal. Lib. VII. cap.* 18. (3) *Diſſ. de Coronis Sect. IV.* §. 4. (4) *De* Στεφανοφορία *cap. XI.* §. 3. (5) *Polyd. Vergilius de Inv. rer Lib. I. c.* 4. *Polus Lib. I. c.* 4. *Lydius Serm. Convir. de vario Nupt. Ritu pag.* 118. (6) *Strabo Lib. III.* (7) *Plutarch. Præcept. Conjug. ab init.* (8) *vid. Dietericus in Antiq. Rom. c.* 8. (9) *In Epithalamio Polem. & Araneol. ſub fin.*

Rhutenis vero, *ligneas* in uſu eſſe ex tiliæ libro pictas, adque id muneris in Eccleſia reſervatas, quas capiti utriusque imponunt, *Lydius* ex *Alexandro Guagnino* annotavit (10).

Nec vero *ſponſa* tantum coronabatur, ſed *ſponſus* quoque hoc lætitiæ ſymbolo clarus conſpiciebatur, ceu *Pompeji*, *Alexandri*, & *ſenis* cujusdam exemplo *Plutarchus* (11) id confirmat. Idem ex his *Plauti* (12) verbis diſcimus:

Villicus hic autem cum corona candide
Laute veſtitus exornatusque ambulat.

Sic *Catullus* (13) ad ſponſum *Manlium*:

Cinge tempora floribus
Suave olentis amaraci.

Pari ratione & *Tertullianus* antiquiſſimum hunc ethnicorum morem apertiſſimis comprobat verbis (14): *Coronant* inquit, *& nuptiæ ſponſos.* Coronabatur vero is, qui uxorem ducebat, *ſiſymbrio*, & aliis quibusdam ſtirpibus, ut ex plurimis veterum ſcriptorum locis *Paſchalius* (15), & poſt eum *Maderus* (16) probatum dederunt.

Imo & *affines* ac *domeſtici*, omnesque *convivæ*, qui lætitiæ nuptiali tum in honorem nuptialium Deorum, tum teſtimonii gratia intererant, coronis floreis conſpicui fuère, quibus non vice ſimplici, ſed ſæpius quandoque diſtributæ fuerunt (17). In Carani vero nuptiis teſte *Athenæo* (18), Convivas *aureis corollis* coronatos fuiſſe animadvertimus. Quin etiam in nuptiis præſertim regiis, aliarumque ſummarum dignitatum, *populum*

E quo-

(10) *loc. cit.* (11) *In Pompejo pag. 648. Orat. 1. de Alexandri Fort. & Virt. pag. 329. An ſeni ger. ſit. Reſp. p. 789.* (12) *Caſ Act. IV. Sc. I. v. 9.* (13) *Carm. LXII 6. ſeqq.* (14) *De Cor. Mil. cap. 3. De ſponſis Coronatis vid. Sidon. Apoll. Lib. I. Ep. V. Palladius Hiſt Lauſiac. cap. 1.* (15) *Lib. II. cap. 17. Lib. III. cap. 16.* (16) *loc. cit p. 30. ſeq. conf. Caſp. Dornavii Orat. T. I. num X.* (17) *Athenæus Lib. V c. 1. conf. Maderum. l. c. p. 29. Paſchalium. Lib. II. cap. 16. pag. 128.* (18) *Lib. IV. cap. 1.*

quoque coronatum eſſe, plurimis probari poteſt exemplis; Sic *Eutropius* ille *Eunuchus*, apud *Zoſimum* (19), videns de nuptiis Imperatoris omnia ſibi ex animi ſententia ſucceſſiſſe, *tripudiare populum & coronis uti, veluti in Principis nuptiis fieri conſueſſet, juſſit.*

Præter ſponſos & convivas, eorumque miniſtros, ipſum quoque *Thalamum* ſive lectum nuptialem coronari mos fuit, de quo ritu *Himerius* (20): *Amores* inquit, *e roſis Coronas nectentes, quas e Veneris hortis cum volunt, decerpunt, nuptiali thalamo circumponunt.* Hoc modo coronis exornatus fuit ille lectus, in quo *Jaſon* cum *Medaa* concubuit, notante id *Apollonio Rhodio.* (21)

Quin etiam *januæ, veſtibulum, omnesque aditus* ejus *domus* in qua celebrabantur nuptiæ, *olea* & *lauro* redimita conſpiciebantur. Cujus rei plurima apud veteres autores extant teſtimonia. Sic in nuptiis *Bacchonis* & *Ismenodoræ* januas olea & lauro ornatas fuiſſe, ex *Plutarcho (22)* diſcimus. Quem morem *Apulejus* (23) expreſſit, dicens: *Domus tota lauris obſita, tadis lucida obſtrepebat Hymenaum.* Idem teſtatur & *Claudianus* ſequentibus verbis (24):

. . . Feſta frondentia Myrto
Limina cinguntur, roſeisque cubilia ſurgunt
Floribus.

De *poſtibus* in Epithalamio *Stellæ* & *Violantillæ Statius* (25):

Vix dum emiſſa dies, & jam ſocialia præſto
Omnia. Jam feſta fervet domus utraque pompa
Fronde virent poſtes, & fervent compita flammis.

Idem

(19) *Lib. V. cap. 3. §. 6. conf. Maderus l. c. pag. 47.* (20) *in Prooemio τῦ Ἐπιθαλαμίυ pag. 51. Edit. Steph. 1567. Auctor Etymol. pag. 441.* (21) *Lib. IV.* (22) *In Erotico pag. 753. A.* (23) *Lib. IV. Metamor. p. 81. ex Edit. Joh. Pricæi, quem vide in notis ad h. l. ut & Geverhartum Elmenhorſt in h. l.* (24) *Epigr. II. v. 28. ſeq.* (25) *Silv, Lib. I.*

Idem *Catullus* (26) de *ædibus*, in Nuptiis *Pelei* & *Tetidis:*

Advenit Chyron portans ſylveſtria dona.
Nam quotcunque ferunt campi, quos Theſſala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit floris tepidi facunda Favoni,
Hos indiſtinctis plexos tulit ipſe Corollis
Queis permulſa domus jucundo riſit odore.

Imo ipſas quoque Nuptialis domus *ſedes* integris arboribus, veteres exornaſſe, idem *Catullus loc. cit.* poſt quædam interjecta memoriæ prodidit, quando de eodem *Chyrone* ſic fatur:

- - - - - - tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras ſtipite laurus.
Non ſine nutanti platano flectaque ſorore
Flammati Phaëthontis, & aëria cupreſſu
Hæc circum ſedes late contexta locavit,
Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.

Nec minus ipſum Ducem bonæ Veneris, Deumque Nuptiarum *Hymenæum*, ut fortunatus faceret nuptias, Coronis donatum eſſe legimus, imprimis vero ex roſarum decore plexis; Roſas enim amoribus dicatos fuiſſe flores, ex ſupra dictis innotuit, hinc Senecæ (27) *Hymenæus* celebratur

Præcinctus roſeo tempora vinculo.

Quemadmodum & *Lares ſ. Dii domeſtici*; teſtatur id ipſum *Euclio* apud *Plautum* (28): *Emi*, inquit, *haſce coronas floreas. Hæc imponentur in foco noſtro Lari, ut fortunatas faciat natæ nuptias.*

 Cæterum

Carm. II. 229. ſeqq. conf. Laur. Ramireſium Pentecontarch. cap. XIV. Roam Lib. II. cap. 15. Barthium in h. l. (26) *Carm. LXV. v. 278.* (27) *In Medea Act. I. v. 70 Ita & Bion de eo in luctu Adonis:* καὶ στέφος ἐξεπέτασσε γαμήλιον. (28) *In Aulul. Act. II. Sc. 8. v. 15. vid. Taubmannus in h. l.*

Cæterum de Coronis, quibus novi nupti evinciebantur, illud quoque notandum, quod ſucceſſu temporis luxuque creſcente, ornatiores fieri cœperint; nam ut primis temporibus ex floribus, quos natura produxerat, plecterentur, necti tandem cœperunt ex *aureis floribus*, addito pretioſo gemmarum decore, qui tamen flores aurei, naturales & figura & colore imitabantur (29).

Et hic quidem antiquus Neogamos coronandi mos, ſubſecutis temporibus apud omnes fere populos adeo increbuit, ut nulla hodie, quantum ego quidem ſciam, ſit natio, quæ eundem in nuptiis non retineat. De Priſcorum *Gentilium* conſuetudine, ex hactenus dictis liquido ſatis conſtare nobis poteſt.

Idem & *Judæis* uſu veniſſe inter alia ex *Cantici cap. III, 11.* colligi poteſt, quando Regum ſapientiſſimus, ſub ſponſi ſponſæque metaphora, admiranda myſteria, & ineffabilem Dei erga animam hominis Φιλανθρωπίαν complectens, ita Eccleſiam alloquitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in Corona, qua coronavit illum mater ſua in die deſponſationis* (30); unde eſt, quod aliqui colligant, ſponſis a matre coronam imponi ſolens olim fuiſſe (31). Idem colligimus ex *Eſa. LXI, 10.* ubi Eccleſia de beneficiis per Chriſtum collatis exultans, in hæc prorumpit verba: *Et circumdedit me indumento juſtitiæ quaſi ſponſum decoratum corona* (32), ubi ad ſponſi coronam alluſum fuiſſe *Hieronymus Oleaſter* annotante id ipſum *Lydio*, (33) affirmat. Patet hoc manifeſto etiam ex *III. Maccab. cap. IV. 6. 7.* quo loco de Judæis a Rege Ptolomæo crudeliſſime habitis ſcribit Auctor: *Quæ autem nuper ad conjugalem vitæ ſocietatem thala-*

---

(29) Paſchalius Lib. II. cap. 16. (30) vid. Grotius in h. l. (31) Lydius loc. cit. (32) vid. Sanctius, Brentius, Grotius, Calovius, Seb. Schmidtius in notis ad h. l. (33) Loc. cit.

thalamum ſubierant adoleſcentulæ, pro delectatione ejulatus percipiebant; Et harum conjuges laqueis, coronarum loco cervicibus implexis, in florente adoleſcentiæ ætate, pro convivio & juventutis otio, reliquos nuptiarum dies trahebant (34). Imo tempore Imp. Veſpaſiani expreſſo edicto ab hoc honoris & lætitiæ ſigno abſtinere ſunt coacti, docente id *Jacobo Goare* (35).

Chriſtianorum vero cœtus quod attinet, nulla inter eos hodie natio, quæ poſthabito ferme in aliis Coronarum uſu, in nuptiis eas non retineat. Teſtantur id ipſum pluribus, qui de gentium moribus eorumq; hac in parte inſtitutis egerunt. Specia tim de ritu *Moſcovitarum* conſuli poteſt *Olearius* (36) & *Paulus Oderbornius* (37), *Boruſſorum* Joh. *Meletius* (38), & ex eo *Hartknochius* (39), *Græcorum Metrophanes Critopulus* (40), *Svecorum Olaus Magnus* (41), & poſt eum *Joh. Loccenius* (42), *Germanorum veterum Paulus Hachenbergius* (43). Primitivæ vero Eccleſiæ Chriſtianos aliter longe animatos fuiſſe, ex *Tertulliano* (44), *Clemente Alexandrino* (45), *Minutio Felice* (46), Seculi III. Scriptoribus diſcimus. Quam ſevere enim iſti in univerſum Coronarum uſum inſurrexerint, ſupra jam monuimus.

(34) *conf. Grotius ad h. l.* (35) *In* Ἐυχολογ. *Græcorum pag. 397. conf. Zimmermanni Anal Menſtr. Menſe II. cap. VII.* (36) *Itinere Moſcovitico-Perſico Lib. III. cap. 8. Lydius loc. cit.* (37) *In Epiſtola ad Dav. Chytræum.* (38) *In Literis ad Georgium Sabinum, quæ cum Oderbornii jam citata Epiſtola editæ ſunt ſub Titulo: De Ruſſorum Muſcovitarum & Tartarorum religione, ſacrificiis, nuptiarum ac funerum ritu &c. conf. Thomas Waiſſelius in Chronico Pruſſiæ fol. 23. ſeq.* (39) *Im alten und neuen Preuſſen, Tom. I. cap. 11.* (40) *In Confeſſione Cathol. & Apoſt. in Oriente Eccleſiæ cap. XII. conf. Hildebrandus de Nuptiis Vet. Chriſtian. §. LII. Zimmermannus l. c. cap VI.* (41) *Hiſt. Gent. Septentr. Lib. XIV. cap. 5.* (42) *Antiquit. Sueo-Goth. cap. XXIV.* (43) *Diſſ. de Nuptiis vet. Germ. §. 10.* (44) *De Corona Milit. cap. III.* (45) *In Pædag. pag. 180.* (46) *In Octavio pag. 12.*

Idem & de Coronis Nuptiarum obſervandum. Quippe cum iſti viderent, Ethnicos quibus cum verſari primis temporibus cogebantur, in ingratum Dæmonum miniſterium Coronis Nuptialibus quotidie abuti, ab hoc quoque Coronarum genere abſtinendum plane cenſuerunt. Secutis vero temporibus, *ubi pax Chriſtianis redderetur, multaque opus eſſet iis indulgere, qui plerumque jam ſenes de Paganiſmo ad noſtram Religionem convertebantur, difficulter ea relinquentes, quibus per omnem vitam adſueverant*, verba ſunt *B. Rhenani* (47), factum inde eſt, ut ritus hic per ſe innoxius iterum introduceretur a Chriſtianis Imperatoribus, ceu ex *Zonara* (48), *Curopalate* (49), *P. Diacono* (50), aliisque probatæ fidei ſcriptoribus compertum habemus. Quarum in nuptiis uſus, apud Græcos præſertim, ita pedetentim invaluit, ut ipſa quoque nuptiarum ſolemnia, *Coronarum* voce, tanquam a potiori voluerint denominare, id quod laudatus *Maderus* (51) more ſibi ſolito diligenter annotavit.

Interim nec defuêre apud Chriſtianos veteres in Coronandis ſponſis *Ceremoniæ ſingulares*. Prius enim quam iis imponerentur Coronæ, ſacerdotis oratione conſecratæ fuerunt, ut ex veteribus Liturgiis a *Laurentio Pignorio in Symbolis Epiſtolicis* (52) producta, ſignificat formula: *Bene † dic Domine annulum iſtum & Coronam iſtam, ut ſicut annulus circumdat digitum hominis, & Corona caput: ita gratia Spiritus Sancti circumdet ſponſum & ſponſam, ut videant filios & filias usque ad tertiam & quartam generationem, qui collaudent nomen viventis & regnantis in Secula Seculorum Amen.* Apud Græcos, ipſe Sacerdos ſponſo Coronam imponens, his utebatur verbis: *Coronetur ſervus*

(47) *Ad Salvian. p. 861.* (48) *Tom. III. de Imp. Theophili.* (49) *De Off. & Official. Eccl. & Aulæ Conſtantinop. cap XVII. num. 30.* (50) *In Hiſt. Miſcell. Lib XVIII. pag. 532. conf. Bullengerus de Imper. Rom. Lib. III. cap. 17. Maderus l. c. pag. 43. ſeq.* (51) *Loc. cit. pag. 50.* (52) *Epiſtola XIX. conf. Hildebrandus loc. cit.*

ſervus Dei N. N. propter ancillam Dei N. N. in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & *Spiritus † Sancti*; Quomodo & ipſa ſponſa coronabatur, ut ex *Rituali* quodam *veteris Eccleſiæ*, Jacobus *Goar* annotatum reliquit (53). Parili ratione & *Heraclio Imperatori*, ejusque ſponſæ *Eudoxiæ*, nuptiales Coronas *Sergius* Patriarcha impoſuit, idque ob hanc rationem, *quod decorum ſit viſum, ut quemadmodum in civili Republica aliquis primatum Coronandi munus peragit, ſic in Sacra Republica Antiſtes Eccleſiæ, is præſertim, qui novos ſponſos copulat, coronam imponat* (54).

Quemadmodum vero ex hactenus dictis planum eſt, Coronam ſemper aliquid peculiare deſignaſſe, ita Nuptialibus quoque, ſingularis a veteribus adſcriptus eſt ſignificatus, perſonis non minus, quam rei præſentique lætitiæ congruus. Erant enim Coronæ iſtæ Indices & Symbola I. *Victoriæ* & *meritorum*, quippe qui conjugium inibant, coronabantur in ſignum ſervatæ illuc usque pudicitiæ, nec non victoriæ de hoſte interno, pravis puta concupiſcentiæ motibus, per conſervatam corporis integritatem, *quid enim ſibi vult corona?* quærit *Chryſoſtomus* (55): *ut oſtendant*, inquit, *conjuges ſe usque ad id tempus victores cupiditatum fuiſſe.* Hinc etiam fit, ut non ſolum veterum conſuetudine, ſed & more apud nos hodie recepto, in ſecundis nuptiis, præter alias quæ deſunt, adparatus partes, nuptiales quoque Coronæ omittantur, ceu de priſco majorum hac in parte inſtituto idem *Chryſoſtomus* (56), noſtri vero ſeculi conſuetudine, quotidiana teſtatur experientia. II. *Lætitiæ*; Cum enim dies Nuptiarum, Lætitiæ cordis dies ſit, eundem liquidis animis & exporrecta fronte excipiebant, ſeſeque ad mutua

(53) *Loc. cit. pag 384. conf Zimmermannus l. c. cap. VI. ſeq. Maderus l. c.* (54) *Theophanes in Mauritio. vid. Goar. loc cit. Hildébrandus loc. cit.* (55) *Homil. IX in cap. III. Epiſt. I ad Tim.* (56) *Lib. de non iterando Conjugio. conf. Solerius de Pileo cap. XII. p. 125. ſeq.*

mutua gaudia inſigni hoc lætitiæ ſymbolo invitabant. III. *Honoris*; Unde hodie adhuc dies Nuptialis germanice vulgo vocatur **der jungen Eheleuthe Ehren-Tage** (57).

Ultimo tandem loco in materia de Coronis Nuptialibus, hoc quoque annotari meretur, quod apud veteres, novæ nuptæ, ſimul ac venirent ad limina ædium mariti, *poſtes* prius quam ingrederentur, propter auſpicium caſtitatis *laneis vittis* ornaverint, lanamque fixam tetigerint (58), neve quid mali medicamenti ingrederetur, *adipe lupino* vel *ſuillo*, imo & *oleo* poſtes unxerint, hinc *uxores* quaſi *unxores* dictæ (59); Vel ut alii volunt, quod ipſæ maritos prius lotos ungerent, loquitur ex illorum mente hac de re *Ennius* (60) dicens:

Exin Tarquinium bona fœmina lavit & ungit.

Deinde ſi maſculum peperiſſet, in Græcia Coronam *oleaginam*, ſi fœmellam *laneam* ob lanificium (61); in Latio vero *lauream*, ob generis perpetuitatem; imo & ex *hedera*, aliisque herbis fragrantibus nexam coronam, quæ *natalitia* dicebatur, ante fores ponebant (62), eo ſcilicet fini, ut inde ſciri poſſet, quid intus natum eſſet. Cujus rei teſtem adduco fœminam illam apud *Juvenalem*, his verbis (63) conjugem alloquentem:

- - - Foribus ſuſpende coronam
Jam pater es.

Ad

(57) *Vide Hildebrandum loc cit. §. 43. Zimmermannum loc. cit.* (58) *Plinius Lib. XXIX. cap. 2. vid. Dalecamp. in notis.* (59) *Plinius lib. XXVIII. cap. 9. vid. Harduinus & Dalecamp. in h. l Iſidorus Lib. IX. cap. 8. conf. ex recentioribus Henelius Otio Vratisl. cap XXXVIII pag. 326. Maderus l c. pag. 34. Fabri Theſaurus in voce Uxor.* (60) *Annal. Lib. III. vid. Paulus Merula & Lindenbrogius in notis ad h. l.* (61) *Heſychius ςέφαν. ἐκφέρ. conf. Paſchalius Lib. V. cap. XV. p. 334.* (62) *Picartus ex Gregor. Nazianz. in Orat. Acad. X. p 189. Thomas Bartholinus Synopſi Antiquit. veteris Puerperii pag. 45. ſeq. Isr. Clauderus Diſſ. II. de Ritu vet. Natalitio pag. 8.* (63) *Sat. IX. v. 85.*

Ad quæ *Johannes Britannicus* ita commentatur: *Orna in lætitiæ ſignum fores domus frondibus & Coronamentis: jam enim filios habes.*

Plura qui de Coronamentis Nuptialibus ſcire cupit, conſulere is & evolvere poteſt illos inter recentiores ſcriptores, qui de ritu Nuptiali apud veteres prolixius ſibi ſcribendum ſumſêre, quales ſunt: *Franciſcus Hottomannus* (64), *Guilielmus Forſterus* (65) *Joach. Hildebrandus* (66), *Joach. Joannes Maderus* (67), *Balthaſar Lydius* (68), *Joh. Michaël Dilherrus* (69), *Joannes a Chokier* (70), alii.

Atque hæc de illis Coronis, quæ *privatæ lætitiæ* inſerviebaut; jam earum ordimur tractationem, quæ *in pubica multorum ſolennitate atque lætandi occaſione* adhibitæ fuerunt; Tales ſunt

V. CORONAE FESTAE.

Ratio Nominis & appellationis. Uſus earum tam apud Græcos quam Romanos, aliosque populos frequens. Materia flores indiſcriminatim lecti imo & quandoque lauri folia.

Nomine Coronarum *Feſtarum* eas inſignimus, quibus in Græcia pariter & Latio, feſtis diebus, fauſtisque acclamationibus, ob rem feliciter geſtam, eventumque proſperum, non ſolum urbana, ſed etiam in agris collecta multitudo lætitiæ ſuæ fidem faciebat. Cujus rei exempla apud auctores nusquam non ſunt obvia. Loquitur de Corona *Feſta* expreſſis verbis

F

(64) *De Vet. Nupt. Ritu.* (65) *De Nuptiis Libro ſing.* (66) *De Nupt. vet. Chriſtian.* (67) *De Coronis præſertim Nuptial.* (68) *In Sermonibus Convivialibus, de ritibus Nupt. var. gent.* (69) *De Ritu Nupt.* (70) *Facis Hiſt. Cent. I. cap. XXI. conf. & Pancirollus Rerum memorab. Tit. LX. vid. Salmuth in notis ad h. l.*

bis *Ovidius* (71), quando eam *Cippo* voluntarium exilium ſuſcipienti, a multitudine impoſitam eſſe tradit:

> *Atque illud meritis clarum [quis credere poſſit?]*
> *Inviti videre caput: nec honore carere*
> *Ulterius paſſi, feſtam impoſuêre coronam.*

Tales item in *Græcia* fuerunt illæ, quibus evincti erant *Lacedemonii* una cum ſociis, cum Duce Lyſandro, murus Athenarum dirutus, ac triremes incenſæ eſſent (72). Tales illæ quibus *Athenienſes* eorumque ſocii inſignes erant, dum adventanti ad ipſos Phocioni, navibus longe occurrebant læti & gratulabundi (73). Tales quoque in *Latio* illæ quibus univerſa civitas non ſolum illo die coronata eſt, quo ipſe Nero ex Græcia rediens iniit urbem Romam (74), ſed etiam quo Roma pulſus eſt. (75). Simili ratione Severo Romam ingrediente, univerſa multitudo fuit coronata, cujus rei teſtis eſt *Xiphilinus* (76). Hujus quoque generis illæ fuerunt, quas ſumere juſſæ ſunt urbes quæ Antiocho Hieraci parebant, quippe cum is audiſſet Seleucum fratrem eſſe mortuum, purpura poſita lugubrem veſtem ſumſit, paulo vero poſt, ubi fratrem vivere cognoſceret, ob tam fauſtum nuntium civitatibus imperavit ut & ſacrificarent & coronarentur (77). Tales quoque illæ, quibus apud *Virgilium* hortatu Evandri Convivæ redimuntur ob Cacum ab Hercule interfectum:

> *Quare agite ô juvenes, tantarum in munere laudum*
> *Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris* (78).

Quod coronamentum e *populo* fuiſſe, fronde ſcilicet Herculi ſacra, ex ſubſequentibus elucet verbis:

Dixe-

---

(71) *Metam. Lib XV. v. 613. ſeqq. conf. Valerius Max. Lib. V. c. VI. §. 3.*
(72) *Plutarchus in Lyſandro Tom. I. pag. 441. E.* (73) *Idem in Phocione Tom. I. pag. 746 E.* (74) *Xiphilinus in Nerone pag. 723. Ed. Hanov. 1606. f.* (75) *Zonaras in Nerone Tom. 2. conf. Sveton. in Nerone §. 57.* (76) *In Severo ſtatim ab initio.* (77) *Plutarchus de Fraterno Amore Tom. II. pag. 489. A.* (78) *Lib. VIII. Aeneid.*

Dixerat, Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas, foliiſque innexa pependit.

In genere vero harum Coronarum *materiam*, quod attinet, nexæ illæ fuerunt ex floribus indiſcriminatim lectis, quibus & herbæ adoratiſſimæ imo & lauri folia addebantur. De quibus pluribus agentem *Paſchalium* vide, & ſi placet, evolve (79). *Forma* vero & habitudo eadem cum convivialibus.

Huc usque de Coronis, quas in Definitione Coronas *Lætitiæ* vocavimus, ſatis nî fallor dictum eſt, jam ad reliquas Coronarum *Pacis* ſpecies diſcurſus provolvitur. Prius vero quam earum tractationem ordior, operæ pretium viſum fuit, de iis pauca annectere, quæ apud veteres *Lætitiæ* Coronas ordine naturæ excipiebant, & ab exequiis ac funeribus, in quibus mœroris atque triſtitiæ ſigna extiterunt, *Exequiales ſ. Funereæ* dictæ ſunt. Sequuntur itaque hoc nunc ordine

VI. CORONAE EXEQVIALES.

Ratio ordinis & connexionis. Primum Funerearum Cor. locum ipſa demortuorum cadavera occupant. Uſus earum non ſolum in Græcia, ſed & Latio frequentiſſimus. Materia vero, pro diverſitate populorum, perſonarum, earumque dignitate varia. Menochius Judæis quoque hoc Coronamenti genus adſcribens, refellitur. Priſci Chriſtiani ut alias, ſic & funereas Cor. repudiarunt penitus, apud quos tamen ſubſecutis temporibus ſuum quoq; locum invenêre, ita ut hodie adhuc multis in locis vigeant. Olim plerumque ex floribus conſtabant, noſtro vero ævo ut plurimum roſmarinus adhibetur. Nec ſolum demortuorum cadavera, ſed & ſepulchra, monumenta, ipſique lapides ſepulchrales, nec non lectus quo reliquiæ exportabantur, priſco ritu Coronis exornata. Quod officii genus annuatim peragebatur, plerumque a defuncti proximis, quandoque tamen & publice. Denique ipſæ quoque urnæ, & quicquid defuncto charum fuerat, ut & ii qui funus proſequebantur more Ethnico-

273. *ſeqq. Vid. Servius & Taubmannus in loc. cit.* (79) *Lib. II. cap. XI.*

Ethnicorum Coronis evincti conſpiciebantur. Hyperboreorum hac in parte mos ſingularis notatur. Scriptores de Funeribus veterum rituque ſepeliendi.

Equidem mirari quis poſſet, cur hoc loco Coronarum Exequialium fiat mentio, cum ex hactenus dictis luculenter ſatis conſtet, veteribus Coronam utplurimum fuiſſe indicem Lætitiæ, atque ex *Platonis* (1) effato, *eos qui funus ſequantur, lugubris veſtis magis, quam Corona deceat*, mœrorique convenientius ſit, caput turpari quam ornamentis condecorari, cum nihil abſurdius dici poſſit, quam eum qui luget, aſpici Coronatum, h. e. inſigni lætitiæ ornatum, unde & *Coronam deponere*, mœrorem ac luctum portendebat olim, quemadmodum *impoſita capiti* lætitiam (2); Verum enim vero cum in lectione bonorum auctorum deprehendamus, coronarum uſum apud veteres tam late patuiſſe, ut in Exequiis etiam ſuum habuerint locum, factum inde eſt, ut poſt Coronas Lætitiæ, Exequalium quoque mentionem facere, neceſſum duxerimus, præſertim cum ipſa teſtetur experientia, gaudii & lætitiæ extrema, luctum plerumque occupare (3).

Primum itaque Coronarum Funerearum locum, ipſis *defunctorum cadaveribus* tribuimus, quæ præprimis coronare, apud gentiles mos admodum frequens fuit; cauſſam reddit *Epictetus* (4), Hadriano enim quærenti, *quare mortuus coronetur?* reſpondet, *quod agonem ſe vitæ tranſegiſſe teſtetur*, h. e. quod, dicente *Svida* (5) *vita certamine defunctus*, perpetuæ jam redditus ſit quieti. In genere de *Gentilibus* id teſtatur *Lucianus* (6), dum eorum ſepeliendi mortuos ritum deſcribens

(1) *Dial. VII. de Leg.* (2) *Paſchalius Lib. II. cap. 9.* (3) *Conf. Clem. Alex. Pædag. Lib. II. cap. 8 Dion. Halicarnaſſ. Antiq. Rom. Lib. VIII. pag. 280. Athenæus Lib. XV.* (4) *In Altercat. Hadrian.* (5) *In voce μελιττοῦτα.* (6) *De Luctu pag. 431, ex verſione Jo. Benedicti, Salmurii 1619. in 8.*

bens, inter alia dicit: *quod cadavera pulcherrimis & ſpecioſis coronarint floribus.* Idem *Clemens Alexandrinus* affirmat dicens: *Qua ratione idola ſic & mortuos ſuos gentiles coronant, quo facto id agunt, ut oſtendant, idola eſſe rem mortuam* (7).

Speciatim vero id de *Græcis* [a quibus ritum hunc primam traxiſſe originem diligentiſſimus *Kirchmannus* (8) ſcribit] *Plutarchus* affirmat (9), quando *Lydiadæ corpus impoſita corona* ad portas Megapolitanorum a Cleomene Lacedæmonio miſſum eſſe, teſtatur. Ita & *Pelopide* interfecto certatim *in ejus corpus congeſta eſſe, coronas* & trophæa, ex eodem diſcimus auctore (10). Pari ratione Hercules ab inferis redux, apud *Euripidem* (11) liberos ſuos, quibus Lycus mortem intulerat, funebri ritu coronatos cernens, in hæc erumpit verba: *Quid hoc rei? video liberos meos ante domum coronatos capita, mortuorum ritu.* Sic apud *Athenienſes* quoque hanc viguiſſe conſuetudinem, *Parali* exemplum nos edocet, huic enim defuncto Pericles Pater Coronam impoſuit, ut legere eſt apud *Plutarchum* (12). Idem & *Macedonibus* in uſu fuiſſe teſtis eſt *Ælianus* (13). Ita etiam *Smyrnaeorum* plebiſcito decretum inter alia fuiſſe *Cicero* (†) narrat, ut mortuus *Caſtricius* non ſolum in oppidum introferretur, ſed aurea etiam Corona ei imponeretur.

A Græcis hic mos *Romam* delatus eſt, idque ex permiſſu Legis XII. Tabul. in quibus illa pars, quæ de jure Sacrorum agitur, fere tota in ſolennibus funerum occupatur (14). Extat hæc ipſa apud *Plinium* (15) & *Ciceronem* (16), quorum loca una

 cum

(7) *Loc. cit.* (8) *De Funer. Rom. Lib. I. cap. XI.* (9) *In Agide & Cleom. Tom. I. p. 807. D.* (10) *In Pelop. Tom. I. p. 296. D.* (11) *In Hercule Fur. Act. II.* (12) *In Pericle Tom. I. pag. 172. C.* (13) *Lib. XII. cap. ult. conf. & de Græcorum moribus agens Jo. Meurſius in Comment. ad* Lycophronis *Caſſandram.* (14) *Jan. Durantius variarum Lib. I. cap. 19.* (†) *In Orat. pro L. Flacco.* (15) *Lib. XXI. cap. 3. vid. Dalecamp. & Harduinus in h. l.* (16) *Lib. II. de LL.*

cum integra Lege deſcriptam, vide ſis apud *Aringhium* (17) & *Kirchmannum* (18). Cum primis vero Romanorum more illa mortuo imponebatur Corona, quam virtute dum in vivis eſſet pepereat, vel meruiſſet (19), & quidem vel per ſe ipſe, vel per ſervos equosve ſuos, ut Legem hanc interpretatur *Joh. Azorius* (20). *Primus* autem *e Romanis* mortuus coronatus eſt, *Scipio* ille *Africanus*, cujus in bonis cum non eſſet funeris impenſa, aſſes populus contulit, ac funus elocavit, imo etiam qua præferebatur, flores ex omni proſpectu ſparſit, cujus rei teſtis eſt *Plinius* (21).

Nectebantur autem hæ mortuorum Coronæ plerumque ex *floribus*, *frondibusque* omnis generis, imo & e *liliis* (22). Lacedæmone *olea* a Lycurgo inſtituta eſt (23), quod mortui ex ingenti humanarum miſeriarum certamine erepti, pro victoribus & triumphatoribus haberi poſſint (24). Ex quo ritu intelligendus *Artemidorus* (25): *Cum mortuis ſimul Coronas ex Oleaſtro efferunt.* Aliæ gentes defunctos ſuos nunc *myrto*, *lauro*, *aliisque foliis ac floribus* redimire ſolebant (26). Imo & *aureas* non nunquam adhibitas fuiſſe deprehendimus. Hinc *Caſtritius* moribundus inter alia hoc quoque mandavit, ut *aurea Corona* decoratus ſepeliretur, ceu videre eſt apud *Ciceronem* (27). Auguſtus, docente *Svetonio* (28) *corpus Alexandri M.* cum prolatum e penetrali ſubjeciſſet oculis *corona aurea* impoſita, floribusque aſperſum veneratus eſt.

Speciatim *Ducibus militumque Præfectis*, caput *lauro* coronabant

---

(17) *Roma Subter. T. I. Lib.* I. *c. 25. §. 12.* (18) *Loc. cit.* (19) *Plinius, Cicero ll. cc.* (20) *In Inſtitut. Moral. Tom. I. Lib. VI. cap. 63.* (21) *Loc. cit.* (22) *vid. Paſchal. Lib. IV. cap. 5. pag. 218.* (23) *Ælianus Var. Hiſt. Lib. VI. cap. 6.* (24) *Paſchal. l. c. & Lib. VI. cap. 16. Camerarius Hor. Subc. Cent. II. cap. 53. pag. 227. Pontanus Vol. IV. Progymn. 60.* (25) *Lib. IV. cap. 49.* (26) *Vide Paſchalium ll. cc.* (27) *Orat. pro L. Flacco.* (28) *In Auguſto c. 18. conf. hic omnino Berneggerum in h. l.*

nabant (29). Sic *Annibal M. Marcellum* in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius quam conſideratius ſpecularetur, interemtum, legitimo jure extulit: Punicoque ſagulo & *Corona* donatum *laurea* (quippe quod ſæpius victor evaſerat) rogo impoſuit (30). *Regibus* vero demortuis *illa* imponebatur *Corona, qua in faſtigio regio evincti fuerant*, ſic *Cleopatræ* mortuæ, Charmion altera ex ancillis, *inſigne regium* adornabat (31). Pari ratione corpus *Alexandri M.* demortui, purgatum & repletum odoribus fuiſſe, *capitique* ejus adjecta *fortunæ ejus inſignia*, teſtis eſt Rerum ab eo geſtarum ſcriptor luculentus *Q. Curtius Rufus* (32).

Et hunc quidem coronandi mortuorum cadavera ritum, *Judæis* quoque adſcribere *Menochius* (33) ſuſtinet, occaſione dicti apud *Jeremiam* cap. XLVIII, 9. Cui vero accuratiores S. Sacræ interpretes penitus contradicunt, docentes, interpretationem vocis ציץ per *florem*, elumbem plane eſſe, omnique carere fundamento, quippe quod vox illa non per *florem* ſed *alam* reddi debeat, ut ſenſus ſit: *Credite, quod Moabus tam cito periturus ſit, quaſi ipſi quis alas dediſſet, ut avolaret & aufugeret* (34). Confirmatur id ipſum ex illo etiam capite, quod nihil plane de coronis Funereis apud Judæos meminêre, qui de ritu ſepeliendi Ebræorum memoriæ quicquam prodiderunt; Quales ſunt *Chifletius* (35), *Buxtorffius* (36), *Geyerus* (37), *Frider. Müllerus* (38), alii.

Quantum vero priſcos *Chriſtianos* attinet, apud eos omnem coronarum uſum repudiatum damnatumque fuiſſe, ſupra jam probatum dedimus. Sigillatim hoc de *Coro-*

(29) *Statius XII. Theb. 65. vid. Barthius in h. l.* (30) *Valer. Max. Lib. V. cap. 1. de Externis* §. 6. (31) *Plutarchus in Antonio Tom. 1. pag.* 954. *E.* (32) *Lib.* X. *cap. 10. num. 13.* (33) *Lib VIII. Reip. Hebr. cap.* XLV. *qu. 7.* (34) *De varia vocis* ציץ *verſione & interpretatione vid. Seb. Schmidii Comment. in h. l. conf. Aquila, Symmachus in h. l. Calovii Bibl. Illuſtrata in h. l.* (35) *De Linteis ſepulchralibus Chriſti.* (36) *In Synagoga Judaica.* (37) *De Luctu Judæorum.* (38) *De Sepulchris veterum Judæorum.*

Coronis Funereis aſſerit *Minutius Felix* (39): *Nec mortuos*, inquit, *coronamus. Ego vero in hoc vos* [gentiles] *magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut non ſentienti coronam, cum & beatus non egeat, & miſer non gaudeat floribus.* Huc quoque trahendus *Tertullianus* dicens (40): *Quid tam indignum Deo, quam quod dignum idolo? quid autem tam dignum idolo, quam quod & mortuo? Nam & mortuorum eſt ita coronari: quoniam & ipſi idola ſtatim fiunt, & habitu & cultu conſecrationis, quæ apud nos ſecunda idololatria eſt.* Quam cum *Tertulliano* & *Minutio*, *Clemens* quoque *Alexandrinus* mordicus tenet ſententiam (41), quando *coronis defunctorum capita redimiri, graviſſimi piaculi genus eſſe pronunciat*, quibus tamen acerbe ſatis reſpondet *Paulus Aringhius* (42). Pari ratione & *Prudentii* (†) hac in parte mens, nemini obſcura eſſe poteſt, ex invectiva illa in militem veteranum Chriſtianum.

Subſecutis vero temporibus, ubi pleraque in pejus ruerent, ut aliarum ita & Funearum Coronarum uſus apud Chriſtianos etiam invaluit, ceu ex *Hieronymo*, *Auguſtino* atque *Damaſceno*, pluribus id demonſtratum dedit *Caſalius* (43), poſtque hunc *Aringhius* (44). Alia tamen ratione ducti ſuos mortuos Chriſtiani, alia Ethnici coronabant; iſti enim coronatione cadaverum, ſympoſia ſive beatorum convivia deſignabant, ad quæ ſuos proficiſci defunctos exiſtimabant, Chriſtiani vero mortuos in victoriæ ſignum coronis exornabant, quippe quos inter certaminum agones merito ſudaſſe ſciebant, ut loqui placet ſæpius laudato *Aringhio* (45).

Erant

(39) *In Octavio pag. 43. vid. Joh. a Wower, Geverb. Elmenhorſt, Jac. Ouzelius in notis ad h. l.* (40) *De Cor. Mil. cap.* IX. (41) *Pædag. Lib. VII. c. 8.* (42) *Rom. Subt. Tom. II. Lib. VI. c. 49.* (†) *In Pſychomach. v. 353. ſeq. vid. Weitzius in h. l.* (43) *De Ritibus vet. Chriſtian. cap.* LXVI. (44) *Loc. cit. cap.* XXV. §. 82. (45) *Loc. cit. cap.* LXXXIII. §. 14. 15.

Erant autem hæ veterum Chriſtianorum Coronæ mortuorum, plerumque *florea, ex roſis, liliis aliisque purpureis floribus* contextæ (46), imo & *lauri folia* adhibita fuiſſe, quibus mortuorum capita hac ſignificatione coronabant, quod qui in Chriſto moriuntur, vivere non deſinant, luculenter ſatis probavit *B. Geyerus* (47), *Laurea* enim propter perennem ejus viriditatem, ſi non æternitatis tamen diuturnitatis ſymbolum ſemper habita eſt (48), qua de cauſſa *Lucretius* (49) eam, *frondem perennem*, *Caſſius* vero *Parmenſis* (50) *æternam* vocat.

Hodie in noſtris cœtibus *rosmarinus* ut plurimum uſu frequens eſt. Quid vero multis in locis, tali occaſione, a virginibus & mulierculis ocioſis, ex charta variegato colore picta & conciſa, filisque ſericeis germanum floris colorem, figuramque exprimentibus, fieri conſueverit, nemo cordatiorum erit, qui hoc ſciat, nec ineptias illas rideat, penitusque averſetur. Nihilominus tamen quotidie demortuorum adoleſcentum virginumque præſertim cadavera, Coronis floribusque condecorata efferri videmus. Imo periiſſe eum multi putarent, in cujus exequiis, vel lux, vel crux, vel reliquæ inferiarum maximam partem gentilium morem redolentes ceremoniæ, negligerentur. De reliquo conſuli hic & evolvi quoque merentur, qui de *Chriſtianorum habitu ſepulchrali* ſcripſère, ſpeciatim *Onuphirus Panvinius* (51), *Joh. Durantius* (52), *Dav. Chytræus* (53), *Jo. Mich. Dilberrus* (54) alii.

Nec vero ipſa duntaxat mortuorum cadavera ſed & *buſta, monumenta, ipſaque ſepulchra*, imo & *lectus* quo defunctus efferreba-

G

(46) *Caſalius loc. cit. Aringhius loc. cit. Geyerus loc. cit. cap. V. §. 10.* (47) *Loc. cit. Conf. J. A. Quenſtedt de Sepult. Vet. Diſſ. VII. Juſtus Cellarius de Antiquo Funerum ritu cap. III. §. 10.* (48) *Paſchal. Lib. V. cap. 12. pag. 322. conf. Meurſius in Arboreto Sacro Lib. I. cap. 4.* (49) *Lib. I. Rer. Nat. v. 118.* (50) *Lib. IV. Epigr.* (51) *De Ritu Sepel.* (52) *De Rit. Eccl.* (53) *De vita & Morte.* (54) *Tom. I. Diſp. Acad. pag. 448. ſeq.*

ferebatur, priſco ritu coronis exornata fuêre, inferiarum enim apud Ethnicos appendix quaſi & corollarium flores & coronæ erant. Hinc apud *Sophoclem* (55) *florere ſepulchrum* dicitur, h. e. abundare floribus, ſertis & corollis, quæ in ſepulchra conſperſæ coronæ, *Lethæa ſerta* nominatæ fuêre, ut ex hoc *Statii* loco diſcimus (56)

Illuſtremque animam lethæis ſpargite ſertis. De quo ſepulturæ ritu *Plinius* (57); *Et jam tunc*, inquit, *coronæ Deorum honos erant & Larium publicorum privatorumque, nunc & ſepulchrorum ac Manium.* Romani quidem ex *liliis*, *hyacintho*, aliisque purpureis floribus inter ſe mixtis hoc coronamenti genus conficiebant (58), imo & *laneas* coronas, quas *tænias* vocabant, apud eos in uſu fuiſſe, quibus ſepulchra velabant, ex variis veterum ſcriptorum locis planum eſt (59). In Græcia vero *Amarantus* uſu frequens erat, quo in funeribus utendum, Theſſali primum ſanxêre, ut conſtare poteſt ex *Philoſtrato* (60); ſigillatim autem *fortium* demortuorum ſepulchra *apio* exornata fuiſſe teſtis eſt *Plutarchus* (61).

In genere vero hunc apud veteres ritum, varia ex antiquitate deſumta exempla luculenter ſatis confirmant. Sic Alexander Magnus *Achillis*, Hæpheſtion vero *Patrocli* tumulum coronavit, cujus rei teſtes adduco *Curtium Rufum* (62), & poſt hunc *Aelianum* (63). Pari ratione apud *Plutarchum* (64) legimus, in funere *Numæ* ſocios & amicos populos, qui ad exequias

---

(55) *In Electra v.* 442. (56) *Silv. Lib. V, carm. III. v. 285. vid. Barthium in h. l.* (57) *Lib. XXI. cap. 3.* (58) *Vid. Sophocles loc. cit. Paſchalius Lib. IV. cap. 6. Kirchmannus de Fun. Rom. Lib. IV. cap. 3.* (59) *Vid. Varro de Lingua Lat.* Lib. *VI. Kirchmannus loc. cit.* (60) *Heroic. cap. XIX.* §. *14.* (61) *In Timoleonte Tom. I. pag. 248. D. conf. Paſchalius loc. cit. Kirchmannus loc. cit. pag. 565.* (62) *Lib. II. cap. IV. 3. 4.* (63) *Hiſt. Var. Lib. XII. cap. 7.* (64) *In Numa circa finem.*

quias convenerant, ſepulchrum ejus publicis muneribus & Coronis condecoraſſe. Nec vero Coronis ſolummodo, ſed & *vagis floribus*, & non in coronam coactis, tumulos exornabant, inter quos principem *Roſæ* obtinebant locum, quarum Romani præſertim adeo fuêre ſtudioſi, ut poſt mortem monumenta ſua iis ſpargi, ſupremo judicio nonnunquam juſſerint, ut ex multis veterum ſcriptorum locis (65), lapidumque inſcriptionibus liquidiſſime apparet, quarum nonnullas huc tranſcribere neceſſum duximus, eo quod ex iis, illud etiam innoteſcere nobis poſſit, ſepulchrale hoc erga defunctos officium *anniverſarium* fuiſſe (66), in eum ſcilicet finem, ut repetito illo quotannis ritu, immortales quaſi facerent ſuos. Et quidem bis in anno, verno ſcilicet & æſtivo tempore, idque ἐαρινοῖς καὶ θερινοῖς ἄνθεσι (†).

Ravennæ hæc in lapide quodam legitur inſcriptio, cujus illa pars quæ ad propoſitum noſtrum facit, ita ſe habet:

OB. MEMORIAM. PATRIS. SVI. DEC. VII. COLLEGI FABR. M. R. H--S ↀ. N. LIBERALITATE. DONAVIT SVB. HAC. CONDITIONE. VT. QVOTANNIS. ROSAS AD. MONVMENTVM. EIVS. DEFERANT. ET. IBI EPVLENTVR (67).

Et in domo privata quadam *Patavii*:

P. MANLIVS. SVRVS. P. F. IIII. V. CAP. ET. POMPONIA CN. F. MARITALI. CONCORDIA. INCOMPARABILES S. V. P. HAC. F. SINE. VLLA. PENA. VT. SVPERSTES ROSIS. S. IACENTIS. QVOTAN. KAL. IVN EXORNET. HICQ. CVM. SVR. OMNIBVS. EPVLENTVR. (68).

(65) *Vid. Sophocles loc. cit. Virgil. Lib. V. Æn. v. 79 & Lib. VI. v. 883. ſeq. conf. Servius & Taubmannus in notis. Paſchal. & Kirchman. ll. cc. Dietericus Diſſ. de ſparſione florum Them. IV. Nicolai de Phyllobolia cap. XV.* (66) *Vid. Caſaub. ad Sveton. Auguſt. c. XXXI. p. 183. Paſchal. Lib. IV. c. 6.* (†) *vid. Dietericum Loc. cit. §. 4. p. 179.* (67) *vid. Gruteri Corpus Inſcript. pag. 237. num. V.* (68) *Idem*

Pari ratione in Lapide *Mediolanenſi* in Propyleo S. Ambroſii iſta leguntur:

PETRONI. IVCVN. VI. VIR. SENI.
PETRONIA. MIRA. L. F.
PATRONO. QVAE. H—S.
CCCC. LEG. POSSESSORIB.
VICI. BERGOMAG. IN HERM.
TVEND ET. ROSA. QVOTANNIS.
ORNANDVM (69).

Præſtabatur autem id officii genus plerumque a defuncti *filiis* & *proximis*, ut ex inſcriptionibus jam adductis liquido nobis conſtare poteſt. Sic *Hecaba* apud *Euripidem* (70) hunc ſupremum honorem nepoti defuncto habuit; Similiter & Agamemnonis filios, Parentis tumulum coronis exornaſſe teſtis eſt *Sophocles* (71). Pari ratione *Virgilius* (72), Æneam ad Anchiſæ Patris ſepulchrum, purpureos jacentem flores introducit. Attigit & morem hunc Sacer Scriptor *Hieronymus* (73) quando ſcribit: Ceteri mariti ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis conſolantur. Idem fecit *Silius*, qui ad Virgilii Monumentum Neapoli velut in templum annuatim ventitaſſe floribusque id ipſum exornaſſe dicitur (74). Quandoq; tamen & *publice* honor iſte defunctis eſt exhibitus, illis præſertim, quorum magna extarent in Rempublicam merita. (75). Sic *Macariæ* Herculis F liæ tumulum, quod ſe voluntariæ morti pro univerſorum ſalute obtulerat,

pag. 435 Num. II. (69) *Idem pag. 449. Num. V.* (70) *In Trojade Act. V.* (71) *In Electra v. 51. ſeq. conf. v. 455.* (72) *Æneid. Lib. V. v. 79 ſeq.* (73) *Epiſt. XXVI. ad Pammachium* (74) *Vid. Jo. Seb Muternacht. Diſſ. de Honoribus quos antiqui defunctis habuerunt pag. 130.* (75) *Vid. Caſaubonus ad Athenæi Lib. XIII. cap. VII. pag. 880.*

lerat, Athenienſes floribus & corollis conſperſerunt (76). Et quidem vel paucis numero vel ingenti copia coronarum, prout is, qui fato functus erat, gratus acceptusque univerſis eſſet (77).

Imo & *Lapides ſepulchrales*, non ſolum florialibus in iis adplicatis, ſed & multiplici forma ferro exſculptis Coronis exornari, mos admodum frequens fuit, cujus rei multa nobis ſuppeditantur exempla in iconibus & figuris, ex marmoribus ac lapidibus Romæ repertis, per *Boiſſardum* (78) deſcriptis ærique inciſis, ad quem curioſum harum rerum indagatorem brevitatis cauſſa remittimus.

Et hunc quidem ſepulchra Coronis exornandi morem, ſubſecutis temporibus *Chriſtiani* quoque receperunt, inque ſuos cœtus introduxerunt, licet illis temporibus, ubi perſecutionibus urgerentur, profanum illum ethnicorum ritum penitus rejicerent, ſicut eam ob rationem Cœcilius apud *Minucium Felicem* (79) illos accuſat: *Coronas ſepulchris denegatis*; Idem diſcimus ex *Juſtino* (80) quando ſcribit: *Non ſacrificia & nidores & coronas ad ſepulchra deportamus.* A qua tamen ſimplicitate poſteri pedetentim diſceſſerunt. Imprimis vero *illorum* ſepulchra floribus & coronis exornare Chriſtiani veteres ſolebant, *qui vel martyrio* invicti Chriſti pugiles exti erant, *vel in certamine mortis* omnes tentationes vicerant (81), cui rei deſignandæ *palmam* cum primis aptiſſimam judicabant, quippe quod victoriæ

(76) *Vide Paſchalium loc. cit.* (77) *Sic Appianus Alexandrinus memorat in funere Syllæ plures quam bis mille aureas coronas, dona civitatum eorumque qui ſub ipſo militaverant, & amicorum ſpectatas fuiſſe. conf. Paſchal. loc. cit.* (78) *In Antiquit. Parte III. pag. 49 54. 59. 66 67. 70. 73. 78. &c. Part. IV. pag. 65. 69. 77. 89. &c. Conf. Jac. Gutherius de Jure Manium Lib. I. cap. 22.* (79) *In octavio pag. 12. vid. Wower, Elmenhorſt, Ouzelius in notis ad h. l.* (80) *Lib. II. Apolog.* (81) *Cujus rei locupletiſſimos provoco teſtes: Paulinum in*

ſemper habita ſit ſymbolum *(82)*, imo & *laurum* triumphi inſigne, ob eandem rationem urnis ſepulchralibus, adpoſuiſſe veteres, teſtis eſt *Aringhius* (83), quo loco icones quoque talium Coronarum delineatas dedit, prout eas ex ſubterraneis ſarcophagis excerpſit atque deſcripſit. Et hic quidem ritus ſecutis temporibus, ubi religio chriſtiana in alias quoque terræ partes proruperet, una cum aliis Chriſtianorum ceremoniis & inſtitutis, ſuum quoque adeptus eſt locum, tam tenaci in noſtrum usque ſeculum uſu, ut multis in locis hodie non minus quam olim demortuorum ſepulchra ac epitaphia floreis coronis exornata conſpiciantur (84).

Porro ipſæ quoque *urnæ*, quibus Ethnicorum defunctorum reliquiæ condebantur, & *quicquid defuncto charum* fuerat, Coronis evinciebatur. Quo exemplo *Plutarchus* (85) memorat, Annibalem M*arcelli* cadaver honorifice combuſtum, in argenteam condidiſſe urnam injectaque *aurea Corona*, remiſiſſe ad filium. Pari ritu urna illa aurea, cui *Demetrii* reliquiæ impoſitæ fuerunt, *regali corona ſ. diademate* exornata fuit (86), ſic apud *Euripidem* (87) *ſcutum Hectoris* a matre coronatum fuiſſe legimus. Et apud *Longum Sophiſtam* (88), Chloe ruſtica ſuperſtitione coronat *locum ubi condita fuit ovis nutrix ſua*. Ita quoque *ſedes illa lapidea*, ſuper qua, ſi quando feſſus eſſet Demonax ſedere ſolitus fuit, ab Athenienſibus coronabatur, in honorem ejus, qui ita putabant, eum lapidem ſuper quo is ſederat, eſſe ſacrum, cujus rei teſtis *Lucianus* (89).

Nec

D. Martini geſtis vid. Tom. VIII. Bibl. Pat. Greg. Turonenſem de Hom. S. S. Mart. Lib. II. Hieron. Ep. ad Pammachium. Prudentium Hymno in Exequiis Sanctorum. conf. Aringhius Roma Sub. Tom. II. Lib. VI. cap. 43. §. 1. 2. Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. die 1. Jan. (82) *Aringhius loc. cit.* (83) *loc. cit.* (84) *vid. Hachenbergius in Diſſ. de Funeribus vet. Germ. §. 22.* (85) *In Marcello Tom. I. p. 316. A.* (86) *Plutarchus in Demetrio ſub fin.* (87) *loc. cit.* (88) *Lib. IV. Paſtoral.* (89) *In Vita Demonactis ſub fin.*

Nec omittendum denique eſt, *eos* quoque *qui funus proſequebantur* apud Græcos præſertim, fuiſſe coronatos, quemadmodum in funere *Timoleontis* infinita virorum & mulierum caterva (90) coronata conſpiciebatur. Ita etiam illi qui *Philopœmenis* (91), *Bruti* (92), nec non *Arati* (93) reliquias condebant, coronis redimiti fuerunt. Cujus apud veteres ritùs atque conſuetudinis, mentionem quoque facit *M. T. Cicero* (94).

Spectat huc etiam non minus admiratione, quam riſu dignum, quod *Hieronymus* (95) ſua memoria, cum in chartis juvaret Damaſum Romanæ Urbis Epiſcopum, contigiſſe ſcribit: *Vidiſſe ſe*, inquit, *duo inter ſe paria viliſſimorum e plebe hominum comparata, unum qui viginti ſepeliſſet uxores, alteram qua vigeſimum ſecundum habuiſſet maritum, extremo ſibi, ut ipſi putabant, matrimonio copulatos. Summam omnium fuiſſe expectationem, virorum pariter ac fœminarum, poſt tantas rudes, quis quem prius efferret: Viciſſe maritum & totius urbis populo confluente coronatus & palmam tenentem per ſingulos ſibi acclamantes, uxoris multi nubæ feretrum præceſſiſſe, tanquam victorem & triumphatorem.*

Tandem ultimo hujus materiæ loco adjicere placet, quod *Pomponius Mela* (96) de *Hyperboreis* ſui temporis reliquit: *Diutius eos* inquit, *quam ullas mortalium & beatius vivere, ubi vero vivendi eos ſatietas magisque tædium cœpit, hilares redimitos ſertis ſemetipſos in pelagus ex certa rupe præcipites dare, id eis funus eximium eſſe.* Hæc de Coronis Exequialibus ratione inſtituti ſufficiant. Plura in hanc rem facientia, legat cui volupe eſt, in illorum libris, qui peculiari cura atque inſtituto, de *Funeribus*

---

(90) *Vid. Plutarchus in ejus vita ſub finem.* (91) *In ejus vita ſub fin.* (92) *vid. Dionyſ. Halicarn. Lib. V. pag. 154.* (93) *Plutarchus in vita Arati ſub calcem.* (94) *Lib. II. de Leg.* (95) *Epiſt. ad Ageruchiam Tom. I. conf. Maderus loc. cit. pag. 23.* (96) *Lib. III. cap. 5 conf. Plinius Lib. IV. cap. 12.*

neribus rituque ſepeliendi apud veteres, egerunt. Inter quos ſequentes nominaſſe ſufficiat, *Claudium* puta *Guichardum* (97), *Lilium Gregor. Gyraldum* (98), *Onuphrium Panvinium* (99), Jo. *Meurſium* (100), Jo. *Kirchmannum* (101), Jac. *Gretſerum* (102), *Jo. And. Quenſtedt* (103), *Franciſcum Meneſtrier* (104), *Juſtum Cellarium* (105). Quibus jungendi omnino, *Carolus Paſchalius* (106), J. *B. Caſalius* (107), *Deſiderius Heraldus* (108), Joh. *Pontanus*, (109), Joh. *Conr. Dietericus* (110) & ultimo tandem loco J*oannes Nicolai* (111).

Atque ſic abſolutis iis, quæ de Coronis *Lætitiæ* dicenda erant, ſequuntur jam porro in Claſſe Coronarum *Pacis*

Articulo II.

CORONAE SACRAE ſ. PIETATIS.

Ratio Nominis & Appellationis. Uſus harum Coronarum in Sacris gentilium frequentiſſimus. Primum locum ipſis ſacrificantibus tribuimus. Materia ex frondibus & foliis illarum arborum, quæ cuique Numini, cujus ſacra peragebantur, propria. Non vero Sacrificantes ſolum coronati fuére, ſed ipſæ etiam Deorum tam publicorum quam privatorum aræ, ſtatuæ, fana & delubra. Denique ipſa etiam ſacrificia, nec non ſacella & templa in quibus res ſacra fiebat, omnia denique inſtrumenta, quibus

---

(97) *De Funeribus Romanorum, Græcorum, aliarumque gentium.* (98) *De ſepulchris & vario ſepeliendi ritu.* (99) *De ritu ſepeliendi.* (100) *De Funeribus Romanorum.* (101) *De Funeribus Romanorum.* (102) *De Funeribus Chriſtianorum.* (103) *De Sepultura Veterum.* (104) *De Exornationibus Funerum.* (105) *Diſſert. de Antiquo Funerum Ritu.* (106) *Lib. V. cap.* 5. 6. 7. (107) *De Urb. & Imp. Rom. Part. II. cap. XXI.* (108) *Adverſ. Lib. I. cap. 6.* (109) *Vol. IV. Progymn. LX.* (110) *In Diſſ. de Sparſione Florum.* (111) *De Phyllobolia.*

quibus victimæ vehebantur, ut & pateræ ac pocula libatoria Coronis exornata conſpiciebantur. Scriptores de re Sacra gentilium.

Coronæ, quarum nunc poſt Coronas Lætitiæ quæve his erant oppoſitæ, ordimur tractationem, *Sacræ* dicuntur eo, quod in re ſacra, hoc eſt, ſacrificiorum ſolemnitate, aliisque ritibus ſacris, a gentilibus ſint adhibitæ, eum ſcilicet in finem, ut ſummam erga Deos ſuos animorum ſubjectionem atque pietatem, luculento hoc capitis inſigni teſtarentur demonſtrarentque publice. Quod ſi enim de veterum publicis iisque ſacris gentilium ritibus annales, paulo diligentius evolvamus, re ipſa comperimus verum eſſe, quod Patrum doctiſſimus *Tertullianus* (1) breviter hac in parte eſt complexus, ſcribens: *In Deorum antiquitatibus, ſolemnitatibus & officiis, ipſas fores, ipſas hoſtias & aras, ipſosque Miniſtros & ſacerdotes fuiſſe coronatos.* Vix enim ullam divini apud veteres gentiles cultus partem, ſine Coronis peractam legas. De ipſis *Sacerdotibus* & *Flaminibus ſacrificantibus, iisque qui ſacris intererant* innumera id teſtantur antiquitatis loca (†). Sigillatim vero *Græcis* frequentiſſimum hujus rei fuiſſe uſum, prolixe nos *Demoſthenes* (2) edocet.

De *Romanorum* vero ritibus legendus hac in parte eſt *Guilielmus du Choul* (3), qui huic ſuo Tractatui, icones quoque ac varias figuras, ex numismatibus & marmoribus depictas, inſeruit, in quibus non ſolum Sacerdotum, aliorumque qui Sacris interſunt

H

(1) *De Corona Militis cap. X. conf. Clem. Alex. Lib. II. Pædag. cap. 48.*
(†) *Ovid. Lib. Triſt. V. El. III. v. 3. Tibullus Lib. I. El. X. v. 14 ſeq. Idem. Lib. II. El. I. v. 6. Seneca Herc. Fur. Act. III. Sc. 3. ſub fin. Idem Act IV. Sc. 1. v. 18. Idem Agamem. Act. II. Sc. 3. v. 2. ſeq. Virgil. Georg. Lib. I. v. 49. conſ. Stuckius in Deſcript. Sacrorum & Sacrificiorum Gentilium pag. 79. Saubertus de Sacrificiis Veterum cap. XI. pag. 245. ſeq. Lipſius I. An. Tac. num. 63. Weizius ad Prudent. pag. 773.* (2) *Oratione contra Midam, ante medium.* (3) *In tractatu elegantiſſimo de Veterum Romanorum Religione.*

ſunt, capita Coronamentis ſunt conſpicua, ſed ipſa etiam altaria, ipſæ victimæ ac hoſtiæ, floribus ac Coronis exornata cernuntur. Quo modo illi etiam qui oracula adibant conſulturi, coronati id peragebant, ut de Græcorum more id ipſum *Ariſtophanes* (4), de Romanis vero *Livius* (*), teſtantur.

Nectebantur vero tales Coronæ ex *frondibus* & *foliis arborum*. Quoniam vero aliæ arbores, aliis Diis erant conſecratæ, hinc ex ejus ut plurimum arboris materia fiebant, quæ cuique Numini, cujus Sacra peragebantur, propria, inque ejus tutela eſſet (5). Sic qui *Baccho* ſacrificabant, ipſæque victimæ, quæ Numini huic immolabantur coronamentis ex *hedera* cui *vitis* quoque cum *pampino* ſubinde admixta, exornatæ conſpiciebantur (6), *Autumno* eas texebant e *pomis* (7), *Junoni vitis* placebat (8), in *Saturnalibus ficubus recentibus* capita exornabant (9); Et qui *Herculis* Sacra peragebant, *laurea* (10) imo & *populo*, (11) coronati erant. In *Cerealibus*, frugum ſcilicet inventricis feſto, *ſpicea* utplurimum Corona (12) utebantur, quæ quidem omnium coronarum videtur eſſe antiquiſſima, quod Ceres eadem eſt, cum terra (13) quæ eſt omnium

(4) *In Pluto v. 21.* (*) *Lib.* XXIII. *cap. 11* (5) *Vid. Curtius Symforianus Hortorum Lib. III. & IV. Artemidorus Lib* II. *cap. 34. du Choul. loc. cit. pag. 242. Stuckius loc. cit.* (6) *Vid. Euripides in Bacchis Act. I. Herodianus Lib. I. Statius Lib. VII. Thebaid. v. 653 Conf. Paſchalius Lib. I. cap. 17. Barthius in notis ad Claud de Raptu Proſerp. Lib. I. verſ. 17. Jo. Meurſius in Arbor. Sacro Lib. III. cap. 4.* (7) *Propertius Lib. IV. Carm. II. verſ. 17. ſeq. Horatius Epod. oda II. vid. Lambinus in h. l.* (8) *Tertull. loc. cit. c. VII. Conf. Paſchal. Lib. IV cap. I.* (9) *vid. Macrobius Lib. I. Sat. cap. 7. pag.* 217. (10) *Seneca in Herc. Fur. Act. IV. Sc. III. ſub fin.* (11) *Virgil Æn. Lib. VIII. 286. conf. Georg. Lib. II 66 Ecl. VII. 61. vid. Servium & Taubmannum in h. l.* (12) *Tibullus Lib. I. El. I. v. 21. ſeq. Ovid. Lib. X Metam. v. 431. ſeq.* (13) *vid. Cicero Lib. II. de Nat. Deorum cap. 26. Natalis Comes Mytholog. Lib. V. cap. 14.*

omnium mater, imo prima frumentorum inventrix (14), quandoque tamen & ex *quercu* confecta, ad perpetuam accepti ab illa Dea beneficii memoriam (15), ut ſignificavit illud *Virgilius* (16):

- - - - - - - - - - neque ante
Falcem maturis quisquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & Carmina dicat.

In Sicilia vero in Sacrificiis Cereris utebantur *myrteis* Coronis imo & e *ſmilace*, vel *narciſſo*, vel *croco*, ut ex Enarratore Sophoclis *Natalis Comes* annotavit (17).

Ex quo ritu in mores noſtrates inductum recte opinatur *Maderus* (18), ut ſingulis meſſibus etiam hodie apud nos Patribus familias, de omnibus generis frugibus confectas coronas, quas germanice Erndte-Cråntze vocamus, offerant atque in domibus ſuſpendant operæ. In Sacris *Cybeles* matris Dêum corona e *pinu* (19) utebantur, in *Dionyſiacis* vero ex *myrto* confecta (20). *Phœbo* autem ſeu *Apollini* ex *lauro* Corona grata, cui arbor illa tanquam Deo telorum, prorſus ſacra fuit, ut teſtatur *Virgilius* (21):

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Hinc & *Phœbi decus* (22), & *inſigne Apollinis* (23) bonis aucto-

 ribus

---

(14) Ovid. Lib. V. Metam. v. 341. ſeq. Orpheus in Hymno Cereris. Virgil. Lib. I Georg. v. 7. ſeqq. (15) Vid. Meurſius loc. cit. cap. II. (16) Lib. I. Georg. v. 347. ſeqq. (17) Loc. cit. (18) Loc. cit. p. 4. (19) Ovid. Lib. X. Metam. v. 103. ſeq. Conf. Stuckius loc. cit. pag. 26. Saubertus de Sacrificiis cap. XI. pag. 246. (20) Ariſtophanes in Ranis. Timachiadas Lib. de Coronis citante Pfeiffero in Antiq. Græc. Lib. I. c. 34. (21) Eclog. VII. v. 61. ſeq. Conf. Apollonius Rhodius Argon. Lib. II v. 159. Vid. Scholiaſtes Græcus in h. l. Plin. Lib. XII. cap. 1. & Lib. XV. cap. 30. Conf. Paſchalius Lib. VIII. cap. 11. ſeq. Rhodiginus Lib. V. cap. 7. (22) Virgil. in Culice v. 400. vid. Taubman. in h. l. (23) Vid. Pierius in

ribus vocatur. Cauſſæ vero & rationes ob quas laurus Apollini Sacra habita fuit, variæ ab Autoribus adducuntur, aliam tuetur *Hyginus* (24), aliam *Tertullianus* (25), aliam *Euſebius* (26), aliam *Chabotius* (27), aliam *Ætius* (28), aliam *Goropius Becanus* (29), aliam *Salmuthius* (30), aliam *Rud. Agricola* (31), aliam denique fovet Jo. *Meurſius* (32); Plura in hanc rem facientia vide apud *Paſchalium* (33). Imo quandoque, & Corollis ex *Hyacintho* (34), *myrto* (35), & *arundine* (36) factis, Apollinem cohoneſtatum fuiſſe, apud Scriptores optimæ notæ deprehendimus, quippe quod iisdem quoq; delectatus ſit Apollo.

Non vero homines ſacrificantes ſolum coronati conſpiciebantur, ſed ipſæ quoque *aræ* Deorum, *ipſa fana*, *templa*, *delubra* & *ſtatuæ*, coronis ornata atque redimita fuêre.

De *aris* teſtatur id ipſum poſt multos alios (37), *Ovidius* expreſſis verbis, quando ſcribit (38):

Fumida cingatur florentibus ara coronis
Micaque ſolemni turis in igne ſonet.

Et

Hierogl. Lib. L. cap. XIII. *Et ejusdem Epitomator Schwalenbergius in Aphor. Hierogl. Lib. L. cap. 21. pag. 250.* (24) *Fab. 103. Conf. Scholiaſtes in Alexiph. Nicandri.* (25) *De Corona Mil. cap.* XII. (26) *Præparat. Evang. cap. XI.* (27) *Tom. I. Comment. ad Horat. Lib* II. *od.* II. *v. 22.* (28) *Apud Natal Com. Mythol. Lib. IV. cap. 10. Conf. de la Cerda Tom* I. *ad Virgil. Eccl VII v. 62.* (29) *Origin. Lib. VI. p. 588.* (30) *In Notis ad Pancirolli Ant. Deperd. Tit LVI*II. *pag. 645.* (31) *In Not. ad Progymn. Aphton. pag. 114.* (32) *Loc. cit.* (33) *Loc. cit.* (34) *Virgil. Ecl III v. 63. vid. Taubmannus in h. l. Lucianus Dial. Deor. inter Mercur. & Apoll. Conf. Ovid. Lib. X. Metam. v. 206. ſeqq. Plinius Lib. XXI. cap. 11. vid. Salmaſius in Exercit. Plin pag. 1223. ſeqq.* (35) *Tibullus Lib. III. carm IV v. 27. ſeq.* (36) *vid. Ariſtophanes in Ranis Act. I. Sc. V. Conf. Paſchal Lib. IV cap.* I. *pag 202.* (37) *vid. Tertull. loc. cit. cap. X. Conf. Paſchal loc. cit. Saubertus loc. cit. cap.* IV. *Stuckius loc. cit. pag. 64. b.* (38) *Lib.* III. *Triſt. El. 13. v. 15.*

Et iterum (39):

Araque gramineo viridis de ceſpite fiat,
Et velet tepidos nexa corona focos.

Pari ratione Arabes *Apollinis* aram *lauro* coronare ſolitos fuiſſe, teſtis eſt *Alexander ab Alexandro* (40). Diſertim quoque hac de re *Propertius* (41) ita canens:

Inde coronatas ubi thure piaveris aras.

Quibus calculum ſuum addit *Statius* (42), quando ſcribit:

Ille coronatos jam dudum amplectitur ignes,

h. e. ex interpretatione *Barthii* (43) [quem omnino conſule] *ignes aræ coronatæ impoſitos.* Meminit quoque *aræ* floribus redimitæ & coronatæ *Apulejus* (44) a *Salmaſio* (45) emendatus.

De *templorum* ac *ſacellorum* coronis expreſſe loquitur *Plutarchus* (46): *Adorant*, inquit, *ſedes Deorum & Sacraria coronant.* Hoc autem *coronare* templa nihil aliud eſt, quam *arborum ramis ac floribus ea tegere.* Confirmat hunc morem *Valerius Flaccus* (47):

- - - - - - æquora cuncta
Proſpiciunt, ſimulantque choros; delubraque feſta,
Fronde tegunt.

Similiter hoc declarat *Propertii* locus (48):

Devia puniceæ velabant limina vittæ,
Putris odorato luxerat igne caſa,
Populus & longis ornabat frondibus ædem,
Multaque cantantes umbra tegebat aves.

 Nec

(39) *Lib. V. Triſt. El. 5. v. 9. ſeq.* (40) *Geneal. Dier. Lib. IV. cap. 17. pag. 222. b. Conf. Statius Theb. Lib. X. v. 598. vid. Barthium in h. l.* (41) *Lib* III. *Carm. V*III. *v. 20.* (42) *Lib. X. Theb. verſ 598.* (43) In *Notis ad h. l. vid. & Bernartius in h. l. Conf. Taffinus de Ann. & Secul. Lud. Lib. X*III. *p. 107.* (44) *Floridor. Lib.* I. *pag 556.* (45) In *Epiſtola LXXXV*II. *p. 193 ſeq.* (46) *De Stoicorum Repugn. T.* II. *p. 1034. B.* (47) *Lib.* II. *Argonaut. v. 190. ſeq.* (48) *Lib. IV. El. 10.*

Nec tamen ſemper flores ſoluti tantum ac frondes apud veteres erant uſitati, ſed ſæpe intexti etiam formatiq; in modum Coronarum. Teſtatur id ipſum *Tibullus* (49) ſequentibus verbis:

Flava Ceres tibi ſit noſtro de rure corolla
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Diſertim quoque *Ovidius* (50):

Et tegat ornatas longa corona fores.

Ex quibus prædictis, hoc etiam, tanquam in tranſitu cognoſcimus, ut alios non paucos, ita & illum ab Ethnicis ad nos manaſſe ritum, quo multis in locis, ipſa templa feſtis diebus ac feriationibus, variis floribus, integrisque arborum frondibus conſpergi atque exornari ſolent. Confirmat id ipſum *Polydorus Vergilius* (51) ſcribens: *Sunt itaque multi ritus prope germani, ex quibus & hic eſt: Apud nos feſtis diebus templa & domus nuptiales aulæis exornantur: Lauro & hedera aliisque feſtis frondibus veſtiuntur fores, ac veſtibula coronantur ſparguntur que floribus. Quæ hercule omnia ipſi idolorum cultores antea ſervabant.*

Nec vero ipſa tantum templa ac delubra, ſed & Idolorum *ſtatuæ* ac *ſimulacbra* Coronis exornata fuêre. Speciatim *Veneris* ſtatuas virgines corollis onerabant. Sed cum *Platone* auctore *duæ* ſint Veneres (52), ſecundum *Auguſtinum* (53) vero *tres*, aut ſi *Ciceroni* (54) aliisque adſtipulandum, *quatuor*; una quam *popularem*, alteram *cæleſtem*, tertiam *hortenſem*, & quartam *opum largitricem* vocabant, cæleſti virgines, quartæ vero

---

v. 28. ſeqq. (49) *Lib.* I. *El. 1. v. 22. ſeq.* (50) *Lib.* IV. *Faſtor. v. 738.* (51) *De Inv. Rer. Lib. V. cap. 1.* (52) *In Sympoſio Conf. Apulejus Platonicus Apol.* I. *pag. 132. Lucianus in Meretriciis Dial.* VII. *Mauſſacus in Harpocration. Lexico pag. 177. ſeqq. Marſilius Ficinus Comment. in Plat. Sympoſ.* (53) *Lib.* IV. *de Civ. DEI cap.* IV. (54) *Lib.* III. *de Nat. Deor.*

vero illæ, quæ corpore quæſtum faciebant, coronis oblatis ſupplicabant, ut pluribus amatoribus ſibi conciliatis, e tali quæſtu diteſcerent. Hinc *Ovidius* vulgares puellas ad hoc hortatur dicens (55):

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ:
Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.
Poſcite, thure dato formam, populique favorem:
Poſcite blanditias, dignaque verba joco.
Cumque ſua dominæ date grata ſiſymbria myrto,
Textaque compoſita juncea vincla roſa.

Profeſſæ juxta interpretationem *Paſchalii* (56) vocantur illæ, quæ licentiam ſtupri, more inter veteres recepto apud Ædiles vulgaverant, quæve volebant ſciri & publicari ſe eſſe impudicas ex ipſa profeſſione flagitii. Ergo hoc Ovidius dicit: vos, quotquot eſtis, quæ corpore quæſtum facitis, Veneri nectite Coronam junceam cui hæreant roſa, ſiſymbria, myrtus, quæ omnia ſunt Veneris. Ubi notandum quoque eſt, quod peculiariter *Lipſius* (57) obſervat, ſcilicet puellas, quæ Veneri militarent, languidas corollas demtas ſuo capiti, Deo cuipiam in munus dediſſe, imo hoc etiam ab iis obſervatum fuiſſe, ut quoties penſum abſolviſſent, aut, ut *Propertius* loquitur, quot itinera nocte una confeciſſent, tot corollas ludicro cuidam minorum gentium Deo, puta Trephallo, Marſyæ, Hermæ &c. donarent. Pari ratione & mulieres illæ indigenæ, quæ ad expiandam *Venerem* Deam, ſemel in vita ad templum ejus, ex lege Babyloniorum, cum externis viris congredebantur, *nodis* & *corollis* tempora revincibant, cujus rei teſtis eſt *Herodotus* (58).

Dia-

---

(55) *Lib.* IV. *Faſt. v.* 865. *ſeqq. vid. Notas in Edit. C. Schrevelii.*
(56) *Lib.* IV. *cap.* III. *pag.* 211. (57) *Antiqu. Lect. Lib.* III. *pag.* 158.
(58) *Lib.* I, *cap.* 199. *Conf. Strabo Lib.* XVI. *pag.* 495.

Dianam aurea Corona cultam olim fuiſſe ex *Æliano* (59) diſcimus, e cujus ſtatua dilapſa lamina cum a puero furtim ſublata fuiſſet, tanquam ſacrilegus plexus fuit. Eodem modo & *Felicitatis* ac *Victoriæ* ſimulachrum *odoratiſſimis floribus* exornabatur (60). *Jani* ſtatua *Macrobio* (61) teſte, ſingulis Kalendis Martiis, vel ut *Dempſterus* (62) docet, Kalendis Januariis, quod annum apperiat, *laurea* nova excepta fuit. A quo ritu nec *Muſæ* excludendæ, quippe quæ *lauro* (63), *hedera* (64), *roſis* (65), imo & *corollis plumeis* (66), *palmisque* (67) paſſim a Poëtis celebratæ fuerunt. *Juno palmitibus* aliarumque arborum foliis (68), *Luciana* vero *dictamno* fuit ornata, quippe quod ad felicitatem partus conferat (69). Coronati item *Satyri* (70), *quatuor anni tempora* (71), *Minerva* (72), *Mercurius* (73), & innumera alia gentilium numina, ut pluribus videri

---

(59) *Lib. V. cap. 16.* (60) *Vid. Tabula Cebetis. Pauſanias Eliacorum* I. *ſive Lib. V. pag. 306. Edit. Xylandri A. 1613. fol. Conf. Paſchalius Lib. VII. cap. 5. & 7.* (61) *Lib.* I. *Saturnal. cap. 12.* (62) In *Notis ad Roſini Antiq Rom. Lib.* II. *cap.* III. *pag. 215.* (63) *vid. Textoris Offic. Hiſt. & Poët. Lib.* IV. *cap.* II. *Sect.* I. *pag. 302.* (64) *Ovidius Lib.* V. *Faſt. v. 79. 80. Metam. Lib.* V. *v. 338 ſeq. Propertius Lib.* III. *Carm.* II. *v. 35. ſeqq.* (65) *Statius Lib.* II. *Silv.* I *v. 116. vid Barthius in h. l. Plutarchus Sympoſ.* III. *qu. 1. Tom.* II. *pag. 646. Conf. Ludov. de la Cerda ad* Virgil. *Eclog.* VI. *v. 68.* Victorius Var. Lect. Lib. XIV. *cap. 18.* (66) *Quas ex Sirenum alis evulſère ut Pierius Hieroglyph. Lib. XXI. cap. 18. tradit.* Vid. *Pauſanias in Bœotic. cap. XXXIV. p. 778. Ed. Kühnii.* (67) *Pharnutius περὶ τῶν μȣσ. conf. Paſchalius Lib* V. *cap. 11. p.* 317. *Meurſius in Arbor. S. cap.* V. *pag. 22.* (68) *Tertullianus de Cor. Mil. Paſchalius Lib.* IV. *cap. 2. pag. 204.* (69) *Theophraſtus* Lib. I. *de Plantis. Conf. Plinius* Lib. XXV. *cap. 8. vid. Dalecamp. in h. l. Rhodig.* Lib. XXVIII. *cap. 24.* (70) *Plinius* Lib. XXXV. *cap. 10. Ovid. Epiſt. Heroid.* V. *verſ. 137. ſeqq.* (71) Vid. *Paſchalius Lib.* IV. *cap. 2. pag. 207. ſeq.* (72) *Sophocl. in Aja. v. 92. ſeq.* (73) *vid. Nicias Anthol.* Lib. IV. *cap. 12.*

videri poteſt apud *Alexandrum ab Alexandro* (74), *Paſchalium* (75), *Dietericum* (76) *Nicolai* (77) alios.

Non vero Deorum ſolummodo publicorum ſtatuæ Coronis honeſtabantur, verum illorum etiam Numinum ſimulachra, quæ *privatis ædibus* ſervabantur, & uno nomine *Lares* dicebantur, privata pietate coronis exornari mos admodum frequens fuit, ſcilicet ut illo quotidiano & frequenti cultu, eos ſibi homines propitiarent, gratioresque redderent; Cujus conſuetudinis varia in medium adduci poſſunt veterum ſcriptorum teſtimonia. Conſtabant vero hæ *Privatorum Deorum* Coronæ ut plurimum ex *violis*, aliisque fragrantibus floribus, quandoque tamen & ex *myrto roreque marino* plexis. Autumni vero tempore *oblatione primitiarum* Ethnici eos plerumque colere ſolebant. Teſtatur id ipſum *Horatius* (78):

- - - - - dulcia poma
Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores
Ante Larem geſtat, venerabilior Lare dives.

Hinc quoque eſt, quod *Tibullus* (79) *Larem ſpicis* & *uvis* coronat:

Hic [Lar ſcilicet] *placatus erat, ſeu quis libaverit uvam,*
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.

De coronis vero ex floribus & præſertim *violis* loquitur *Juvenalis* (80):

- - - - - Laribusque paternis,
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.

Myrto autem & *roremarino Horatius* (81) ſequentibus eos redimit verbis:

I *Parvos*

---

(74) *Genial. Dier. Lib. IV. cap. 17.* (75) *Lib. IV. cap. 1. 2. 3.* (76) *de Sparſione Florum Them. I. §. 6.* (77) *De Phylobolia cap. II.* (78) *Lib. II. Satyr. 5. verſ. 12. ſeqq. vid. Lambinus in notis* (79) *Lib. I. El. 11. v. 22. ſeq.* (80) *Sat. XII. verſ. 89. ſeq.* (81) *Lib. III. Carm. Od. 23. v. 15. ſeq. vid. Lambinus in h. l.*

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Cæterum hæ Laribus impoſitæ Coronæ dicebantur *imponi focis*, quia ſedes Larium erat apud focum. Hinc Euclio ille apud *Plautum* (82) diſertim Lares in foco collocat:

Nunc tuſtulum emi, & haſce coronas floreas
Hæc imponentur in foco noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat natæ nuptias.

De quo more quoque *M. Cato* (83) ita loquitur: *Kalendis, Idibus, Nonis, Feſtus dies cum erit, coronam in focum indat. Per eosdemque dies, Lari familiari, pro copia ſupplicet,*

Denique ipſas etiam *victimas*, nec non *ſacrificia immolanda*, Coronis ornata fuiſſe, vel ex *Actis Apoſtolorum* conſtare poteſt (84), ubi *Lucas* tradit: Sacerdotes Jovis attuliſſe ad veſtibula domus, in qua Paulus & Barnabas habitabant, tauros & *coronas:* quod vel de toto ſacrificali adparatu, ut *Paſchalius* (85) putat, vel juxta alios, de ipſis tauris coronatis per figuram Hendiadys dictam, explicandum erit (86). Sic victimæ illæ, quæ Baccho immolabantur, *capræ* ſcilicet & *hædi* coronati erant, ut in ſacrificio Daphnidis videre eſt apud Longum (87). Liquet etiam hoc ex ſequentibus *Prudentii* (88) verbis:

Pontificum feſtis ferienda ſecuribus illic
Agmina vaccarum ſteterant, vitulasque revincta
Fronte coronatas umbrabat torta cupreſſus.

Unde illud etiam conſtare nobis poteſt, victimas plerumque *cupreſſu* coronatas fuiſſe, quandoque tamen ea fronde quæ illi

---

(82) *In Aulul. Act. II. Sc. 8. v. 15. Conf. Taubmannus in h. l.* (83) *De Re ruſtica cap. 144. Conf. Popmæ & Meurſii notæ ad h. l.* (84) *cap. XIV, 13.* (85) *Lib. I. cap. 2. pag. 7.* (86) *Vid. Cornel. a Lapide in h. l. Grotius in notis ad h. l. Calovius in Bibl. illuſtr. h. l. Saubertus in Prodromo Philol. Sacr. pag. 33. ſeq.* (87) *Lib. II. Paſtoral.* (88) *In Apotheoſi v. 461. ſeq.*

li numini propria eſſet, cui immolabantur (89), uti hoc de victimis minoribus prolixius probatum dedit *Stuckius* (90), *Paſchalius* (91), poſtque hos *Guilielmus du Choul* (92). Si vero victima grandis eſſet, procedebat ut immolaretur, *fronte & cornibus inauratis*, ornata fibulis aureisque roſariis hinc inde a cornibus dependentibus (93); Cujusmodi victimæ coronatæ figuram e marmore antiquo deſcriptam, vide apud laudatum *Guil. du Choul Loc. cit. pag. 246.* Plura de victimis coronatis legat cui placet apud *Renatum Laurentium* (94), *Ravanellam* (95), *Paſchalium* (96), *Eliam Schedium* (97), *Pfeifferum* (98), *Dietericum* (99), alios.

Ultimo tandem loco, neque hoc ſicco pede transeundum, ipſas quoque *ciſtas* (100) in quibus condebantur ſacrificiis neceſſaria, ipſos *alveos*, non minus ipſas *naves, lintres* (101), ipſos *equos* & *aſinos* (102) quibus vehebantur ſacra, ſertis & coronis exornata fuiſſe. Imo *Lac* etiam a capris & ovibus recens expreſſum, cum ipſis *pateris, poculis* & *calicibus* libatoriis (103). Et ut

(89) *Prudentius Periſteph. Hymno* X. *v.* 1021. *ſeq. Statius Lib. IV. Thebaid. v.* 449. *vid. Barthium in h. l.* (90) *De Sacris & Sacrif. Gentil. pag.* 77. *a.* (91) *Lib. IV. cap.* 16. 17. *Conf. Saubertus de Sacrif. vet. cap.* XVIII. *pag.* 436 *ſeq. ubi & in Figuris ad cap.* 18. *lit. G. & H. capita victimarum coronatarum conſpici licet.* (92) *De Reliq vet. Rom. pag.* 244. (93) *Homerus Odyſ.* 3. *v.* 382. *ſeq. Virgil. Æn. IX. v.* 627. *Conf Lib. V v.* 366 *Vid. Taubmannus in notis ad hh. ll. Tibullus Lib. IV. El.* 1. *v.* 15. *Ovid. Metam. Lib. XV v.* 131. *Vid. Turnebus Lib* XXIX. *cap.* 25. *Gyraldus Syntagm* XVII. *pag.* 499. (94) *Ad Tertull. de Cor. Mil. cap. XII.* (95) *In Bibliotheca Sacra voce Corona Num. IV.* (96) *Loc. cit.* (97) *De Diis Germ. cap. XXIX.* (98) *In Antiq. Græc. pag* 64. (99) *Loc. cit.* (100) *Euripid. in Ione Act. V. circa init. Tibull.* Lib. I. *El.* 11. *v.* 28. *ſeq. Ovid. Lib. II. Metam. v.* 712. *ſeqq. vid. Farnabius ad h. l.* (101) *Ovid. Lib. VI. Faſt. v.* 779. *ſeq. Lib. IV. v.* 335. (102) *Ovid. Faſt. Lib VI. v.* 311. *ſeq. vid. notæ in h. l. in Edit C. Schrevelii. Propert. Lib. IV. El.* 1. *v.* 22. *ſeqq.* (103) *Vid. Longus*

ut paucis liceat complectere multa, *ſertorum* ac *coronamentorum* in ſacris gentilium adeo frequens, fuit uſus, ut nullum ſive publicum ſive privatum numinis cujusdam cultum, imo ne partem quandam ejus accurate deſcriptam invenias, absque mentione Coronarum. Quarum omnium rationem exhibere nobis accurate potuiſſet præſtantiſſimus in hac materia commentator *Claudius Saturnius*, qui & origines, & cauſſas, & ſpecies, & ſolemnitates earum ita ediſſeruit, ut nullum ceſpitem aut palmitem, non alicujus capiti tradiderit conſecratum, niſi una cum aliis quamplurimis veterum ſcriptorum monumentis, temporum injuria nobis illum invidiſſet (104). Cujus tamen jacturam illi ex recentioribus ſupplere poſſunt, qui de Sacrificiis veterum eorumque ritu, ſingulari ſtudio ſibi ſcribendum ſumſêre, hi enim tractatibus ſuis, multa de Coronarum quoque in Sacris uſu, inſeruerunt, tales ſunt: *Jo. Gail. Stuckius* (105), *Lilius Gregor. Gyraldus* (106), *Natalis Comes* (107), *Carolus Paſchalius* (108), *Guilielmus du Choul* (109), *Jacobus Gutherius* (110), *Petrus Taffinus* (111), *Paulus Aringhius* (112), *Johannes Saubertus* (113) aliique.

Atque hæc de Coronis Sacris ratione inſtituti ſufficiant. Pergimus nunc porro ad novas Coronarum Pacis ſpecies, quales ſunt

Articu-

Lib. III. Paſtoral. Tibul. Lib. II. El. 5. verſ. 76. ſeqq. (104) *Vid. Tertull. de Cor. Mil. cap. VIII. Conf. Maderus Loc. cit. pag. 2. Jac. Durantius Lect. var. Lib. I. cap. 19. in Tomo III. Theſ. Crit. Jani Gruteri.* (105) *De Sacris & Sacrificiis Gentilium pag. 79. v. 159.* (106) *De vaſis ad Sacrificia Deorum pertinentibus.* (107) *Mythol. Lib. I. cap. 10.* (108) *Lib. IV. cap. 16. 17. 18. 19.* (109) *De Religione Vet. Rom. pag. 242. ſeqq.* (110) *De Vet. Jure Pontif. Lib. IV. cap. 2.* (111) *De Vet. Rom. Anno Sec. Lib. I. cap. 10.* (112) *Roma Subter. Lib. VI. cap. 49.* (113) *De Sacrificiis Veterum cap. XVIII. pag. 436. ſeqq.*

Articulo III.

CORONAE HONORIS.

Nominis ratio & ſignificatus. Oblatæ hæ ipſæ fuerunt non ſolum Diis pietatis cultusque gratia, ſed & hominibus, qui præ aliis ſuſpiciendi eſſent. Materia earum varia. Aurea magnique prætii illa, quam Ludovicus *XIII. Galliæ Rex ad ædem* Lauretanam *miſit, ut & illa quam Comes Alexander Sfortia legato Canonicis Vaticanæ Baſilicæ injunxit; myrtea vero quæ non ita pridem Petrowizio Regnorum Ruſſicorum hæredi, gratulationis titulo Quedlinburgi fuit oblata. Coronis Honoris oppoſitæ ſunt Coronæ Infamiæ & Ignominiæ. Earum varia recenſentur exempla. In hanc Claſſem illam quoque ſpineam referimus Coronam, quæ Salvatori noſtro ludibrii & ignominiæ ergo a militibus Romanis fuit impoſita. De cujus materia & forma prolixius diſſeritur.*

Equidem ut nulla Corona eſt, quæ non dici poſſit Corona Honoris, *quid enim habet Corona pretioſum? quid prætexta? quid faſces? nihil horum honor eſt, ſed honoris inſigne,* verba ſunt *Senecæ* (1), ſpeciali tamen & ſtrictiori hoc ſignificatu illas potiſſimum comprehendimus coronas, quæ ut ipſis Gentilium Diis atque Numinibus, pietatis & cultus gratia, ita inter homines gratulationis, honoris ac reverentiæ ergo, iis fuêre oblatæ, *qui ob egregia in Rempublicam facinora, aut aliam prægnantem & gravem rationem, præ aliis colendi atque ſuſpiciendi eſſent.* Cujus rei, in Hiſtoria præſertim Romana infinita fere occurrunt exempla.

Has olim *aureas*, *æneas*, imo & *ex olea* factas fuiſſe, plurimis ex antiquitate deſumtis exemplis demonſtrari poteſt. Sic *aurea* fuit illa, quæ a Latinorum & Hernicorum Legatis, gratulatum de concordia patrum & plebis Romam miſſis, *Jovi* optimo

(1) *Lib. I. de Benef. cap. V.*

optimo maximo, ob eam rem, in Capitolium lata fuit, & quidem parvi ponderis, prout res haud opulentæ erant, colebanturque religiones pie magis quam magnifice, ut loqui amat *Livius* (2). Talis illa pondo XXV. quam Carthaginenſes per Legatos, gratulatum de victoria in Samnites Romam miſſos, in cellam *Jovis* poſuerunt (3). Talis quoque illa, quæ a Mamerco Æmilio Dictatore libræ pondo, ex publica pecunia, populi juſſu in Capitolio donum poſita eſt (4). Cujus generis illa etiam fuit, quam Legati Saguntinorum *Jovi* optimo Maximo, præſidi Capitolinæ arcis, grati animi donum, victoriæ ergo attulerunt, id quod memoriæ reliquit *Livius* (5). Nec non illa quam *Xenocrates* Philoſophus domum rediens *Mercurio*, qui ſtabat ante ædes Regias, pietatis ergo injecit, qua donatus a Dionyſio tyranno fuerat, quod ſtrenue ebibiſſet congium vini, uni ſibi oblatum, id quod pluribus refert *Athenæus* (6), & ex eo totidem fere verbis *Diogenes Laertius* (†). Pari ratione illa, quæ a Tyriis *Alexandro Magno* in titulum gratulationis per legatos offerebatur, aurea fuit (7); cumque is Darium viciſſet, miſſæ Alexandro Coronæ partim a Legatis gentilium, aliisque, æſtimatas decem millibus ac quingentis talentis, ut ex Charete refert *Athenæus* (8). Et cum Cn. Manlius Gallo-Græcos viciſſet, eoque terrore Aſiam liberaſſet, miſſæ undique legationes, non gratulatum modo venerunt, ſed coronas etiam aureas pro ſuis quæque facultatibus attuleruut (9). *Aureæ*, vero & *æneæ* erant illæ, quibus *Alcibiades* ab Athenienſibus magno applauſu donaba-

(2) *Lib. III. cap.* 57. (3) *Livius* Lib. *VII. cap.* 37. (4) *Idem* Lib. *IV. cap.* 20. (5) Lib. *XXVIII. cap.* 39. *Vid* & Lib. *XXXII. cap.* 27. Lib. *XXXVI.* 35. (6) Lib. X. *cap.* 10. *vid. Caſaubonus in notis ad h. l. Conf. Ælianus* Lib. II. *cap.* 41. (†) Lib IV *Segm.* 8. *Conf. Menagius & Joach. Kühnius in notis ad h l.* (7) *Vid. Curtius* Lib. IV. *cap.* II. *n.* 2. *Juſtinus* Lib. XI. *c.* X. *§.* 10. *Conf. Berneggerus in notis ad h. l.* (8) Lib. XII. *cap.* 9. *pag.* 539. (9) *Livius* Lib. XXXVIII. *cap.* 37.

nabatur (10). *Oleagina* autem illa Honoris Corona, quæ *Thraſybulo* pro maximis in patriam meritis data eſt, facta e duabus *virgulis oleaginis*, qua is contentus, neque amplius requiſivit, neque quemquam honore ſe anteceſſiſſe exiſtimavit, cujus rei teſtem provoco *Cornelium Nepotem* (11).

Parili ratione in claſſem coronarum quæ cultus & reverentiæ cauſſa offeruntur, referri merentur, *duæ illæ maximi pretii Coronæ, quas Ludovicus XIII. Galliarum Rex Chriſtianiſſimus*, Anno ſuperioris Sec. XXXIX. una cum angelo ex ſolido auro, brachiis puerulum aureum complectente, in recognitionem fœcunditatis reſtauratæ, ad ædem Lauretanam, *B. Virgini Mariæ* conſecrandas miſit, quibus imaginis Jeſuli & S. Mariæ capita cingerentur; Illi ſequentia inſcripta fuére:

Sceptra dedit Chriſtus mihi, Chriſto reddo Coronam, triplici vero huic quæ hodienum adhuc ſimulachri caput exornat, induſtria *Cardinalis Richelii* concinnata verba:

Tu caput ante meum cinxiſti, virgo, Corona
Nunc Caput ecce tuum, noſtra Corona tegit.

Angeli vero ſtatuæ, hæc inſerta legebantur: *Ludovicus XIII. Galliæ Rex & Navarræ, poſt annorum XXII. ſteriles nuptias & ſui Regni Dedicationem, tanto regno Virgini Matri celebratam ſuſcepto, tanti domi* Auctricem *eandem virginem hoc munuſculo agnoſcit, & in Lauretano ejus Auguſtali, Nuntio Paulo* Freart *de Chantelou adorans veneratur* (12). Talis quoque illa aurea magni ponderis corona, quam ex ſingulari devotionis erga virginem Mariam

---

(10) *Cornelius Nepos in ejus vita cap.* VI. §. 3. *vid. Boſius in Notis ad h l. Conf. Plutarchus in Alcibiade Tom.* I. *pag.* 209. *D qui ſimpliciter dicit:* ἐςεφάνȣν. (11) *In Vita ejus cap.* IV §. 1 *Plura Coronarum honoris & gratulationis exempla vid. ap.* Lipſium *de Magnit. Rom* Lib. II. c. 9. (12) *Vid. Jac. le Bleu in Sceptrographia Salomonica* §. 18. Victor *Sirus in Mercurio Tom.* III. *Lib.* 3. *pag.* 1064. *Conf: Miſſon* Voyage d' *Italie. Tom.* I. *pag.* 239.

Mariam ſtudio, præclaræ memoriæ Comes *Alexander Sfortia*, ad perpetuum ſuæ erga virginem obſervantiæ monumentum, Vaticanæ Baſilicæ Canonicis, quos ſibi ex teſtamento hæredes nuncupavit, legato præ cæteris caute injunxit, ut ea ſacram aliquam b. Virginis imaginem ex his, quæ miraculis quondam illuſtriores redditæ vel in Urbe Roma vel ubivis locorum claruerunt, quotannis ſolenni ritu exornarent (12).

Nec dubito, annon in claſſem Coronarum Honoris illud quoque coronamentum ex *myrto* compactum, referre queas, quod auſpiciis *Königsmarckiæ Quedlinburgenſis Abbatiæ Antiſtitæ, Zarovvizio Ruſſicorum Regnorum Hæredi*, per decem & duas virgines ſingulari ſtudio ad hoc munus electas, offerebatur, cum Anno ſuperiori d. 20. Julii, cœnobium illud una cum aliis quibusdam perſonis illuſtribus inviſeret, ſuaque præſentia dignaretur. Conſtare nobis & de intentione offerentium, & de materia hujus coronamenti poteſt ex allocutione (13) ad Principem habita, cujus huc tranſcribere partem e re futurum putavimus:

VVenn deiner Hoheit Glantz uns blendet,
Und uns die Furcht zurücke treibt,
Spricht Amor der uns zu dir ſendet,
Heran ihr Töchter und verbleibt:
Dis iſt der groſſe Prinz von dem die Fama ſinget,
Daſs Ihn blos Amors Macht in Eure Gräntzen bringet.
Drum kommen vvir dich zu verehren,
Du Götter gleiches Ebenbild,
Zvvar vvas vvir deinem Ruhm gevvehren
Bey deinem Urſprung vvenig gilt:

Et

(12) Vid. *Paulus Aringhius Rom. Subt. Tom.* I. *cap.* 25. *pag.* 82. §. 13.
(13) Vid. *Der zu Quedlinburg geweihete Mirthen Krantz.*

Et poſt quædam interjecta:

VVas ſoll man dir für Nahmen geben,
Die lieblicher als Bräutigam?
Und vveil du ſchenckeſt Hertz und Leben
Der Hohen Braut aus Bruno Stamm:
So leide das vvir dir den Mirthen-Krantz jetzt reichen
Dem auch die Krohnen ſelbſt an Zier und Anmuth vveichen.

Cæterum his quas ſpeciali ſignificatu, Coronas Honoris diximus, e Diametro oppoſitæ ſunt *Coronæ Infamiæ ſ. Ignominiæ.* Licet enim Corona ut plurimum ſit Index honoris, reperimus tamen, adhibitam quoque ſubinde fuiſſe ad deſignandam rem, quæ plena eſt dedecoris & infamiæ. Unde hoc quicquid eſt Coronamenti, non tam Coronas, quam *notas infamiæ & ignominiæ, vitiorumque ſupplicium*, merito dixeris.

Talis erat illa in Legibus *Charondæ* (14), qua illi qui calumniæ dolique mali convicti eſſent, per urbem circumvectebantur, & quidem *myricea* coronati corona, ut omnibus innoteſceret, quam eſſent ſingulari improbitate inſignes. Talis illa apud Cretenſes *lanea*, qua Gortinæ adulterum deprehenſum, ad magiſtratus perductum, criminisque convictum *lana* coronatum fuiſſe *Ælianus* (15) memoriæ reliquit. Quo reſpexiſſe *Propertium* (16) conjicio, quando virum funeſtum lana redimitum introducit, dicens:

Et ſtrigis inventæ per buſta jacentia plumæ
Cinctaque funeſto lanea vitta viro.

Simili ratione in hanc Coronarum claſſem referri poſſunt *urticeæ* illæ, vetulis a Talmudicis dicatæ, de qua re videatur *Buxtorffius* (17). Nec non illa *papyracea*, quam Judæos in deriſionem Agrippæ, Carabæ cujusdam inſani capiti impoſuiſſe ἀντὶ

K Διαδή-

(14) *Diodor. Sic. Bibl. Lib. XII. p. 79. Ed. Laur. Rhodomanni in fol.* (15) *Var. Hiſt. Lib. XII. c. 12.* (16) *Lib. III El. 4. v. 29. ſeq.* (17) *In Lexico Chald. Talmud. & Rabbinico p. 1046.*

Διαδήματ@ pro Diademate, *Philo Judæus* refert (18). Eodem exemplo *Tertullianus* (19) pugilem Cleomachum inter fullones Novianos, *ignominiæ* Corona coronandum eſſe ait. De hoc genere illa quoque fuit, quæ *Joanni Huſſo*, Concilii Conſtantienſis decreto ad rogum damnato, *ex papyro* facta & ad ſpeciem pyramidis, cubitali ferme longitudine faſtigiata, ludibrii titulo impoſita eſt, in qua tres horrendi Cacodæmones erant depicti, cum iſta imputati criminis inſcriptione: ISTE EST HÆRESIARCHA (20). Imprimis vero hoc loco tanquam propria ſede commemorandæ veniunt, illæ maximi dedecoris Coronæ, quibus evincti quandoque illi fuêre, qui excuſſa omni quam legitimis ſuis Regibus debebant, fide & obſequio, rebellantibus auctores ducesque ſeſe præbuerunt. Talis erat illa *ferrea*, igneque candenti reſplendens, qua *Georgius Székely*, ruſticorum ſiculorum in Tranſilvania rebellium Dux, capiti ſuo impoſita, ad mortem usque excruciatus eſt, in quo miſeri hominis diro, enormi & nunquam hactenus vel viſo vel audito ſupplicio recenſendo prolixus eſt *Nicolaus Iſthvanffius* (21) Rerum Hungaricarum ſcriptor prudens & cordatus, deq; patria ſua & toga & ſago optime meritus. Talis illa *cuprea*, quæ ſeditionis in Svecia A. 1538. exortæ auctori, *Nicolao Dackio* impoſita eſt, poſtquam in quatuor partes diſſectus rotis eſſet affixus (22). Talis quoque illa *ferrea* candens, quam Henricus VI. Imperator, rebellium in Sicilia Regi, claviculis in capite affigi juſſit (23). Neſcio annon & huc referas ſequentia *Alberti Abbatis Staden-*

(18) *In Flaccum p. 751. Ed. Colon. 16 3.* (19) *de Pallio c. IV.* (20) *Vid. ex Bacherio Hermannus von der Hardt in Actis Conc. Conſt. Tom. IV. Part. VI. p. 395. Conf. Paralipom. Abbatis Urſperg. Chronico annexa p. 289. Zach. Theobaldi Huſſiten Krieg Part I p. 110.* (21) *Hiſtor. de Rebus Hung. Lib. V. pag. m. 73. Conf. Rewa Rer Hung. Centuria VI. p. m. 62.* (22) *Vid. Jo. Loccenii Hiſt. Svec Lib VI. ad Annum 1543.* (23) *Nauclerus Chronogr. Vol. II. Gener. XL. p. 792. Spangenbergius Chron. Saxon. ad An. 1196. cap. 237.*

Stadenſis verba (24): *Alexandro Papæ ſucceſſit Lucius Hoſtienſis Epiſcopus. Hic diſſenſum babuit cum Romanis, quia conati ſunt deſtruere oppidum Tuſculanum. Romani enim XXVI. Tuſculanorum milites cæcarunt, & capitibus eorum Coronis de pergamenis impoſitis, ſingulis ſingula Cardinalium nomina cum opprobriis inſcripſerunt, & quilibet manum alterius tenebat, qui præibat unum oculum habebat, ut reliquos duceret, in cujus Corona ſcriptum erat:* LVCIVS NEQVAM SIMONIACVS, *& alia blaſphemia.*

Atque hæc ſunt, quæ de Coronis Honoris, earumque oppoſito Infamiæ ſcilicet & ignominiæ notis atque characteribus, dicere habui. Nunc ubi in Coronarum linea ulterius pergere ſuſtineo, vellicari meum animum, ut pedem hic paulisper figam, deque inſtrumentis acerbiſſimæ paſſionis Dominicæ, ut cogitem, admoneri me interius perſentiſco. Conſtat enim ex teſtimonio Evangelicæ Hiſtoriæ inter alia inſtrumenta, quæ in ipſa Paſſionis Chriſti actione, ex carnificum ac tortorum ſuppellectile depromebantur, unum quoque fuiſſe, undique aculeatum, undique hirſutum ſentibus ac ſpinis, quibus confixum eſt Caput Salvatoris Sacroſanctum, in eum ſcilicet finem, ut membrorum doloribus, capitis quoque accederent acerbitates; Hoc vero uno Sacrorum Scriptorum ore Στέφανος ἀκάνθινος h. e. *Corona Spinea*, dicitur, ut videre eſt apud *Matthæum cap. XXVII, 29. Marcum XV, 17.* Joannem *XIX, 2.*

Cum igitur in humanis nihil præclarius, nec quicquam ad futuram beatitudinem felicius, quam crebra de ſalutifera Servatoris Jeſu Paſſione ſuſcepta cogitatio, omnem & operam & ſtudium male locaſſe, imo perdidiſſe penitus mihi videro, ſi inter alia quæ usque huc perluſtro Coronarum genera, ſanctiſſimæ ac venerandæ Chriſti Coronæ nullam habeam rationem. Idcirco non poſſum non, quin convenienti hoc loco, ad qualem hujus Coronæ conſiderationem ſuſcipiam atque illam

 quam

(24) *Ad An. 1183. pag. 197.*

quam dulciſſimo Salvatori meo pietatem ac venerationem debeo, humillimo pectore devotique cordis affectu, publice probem atque demonſtrem.

Ante vero quam ipſam rem aggredior, exponendum mihi eſſe video, quo jure & ratione adductus, Coronam Chriſti ſpineam in Claſſem Coronarum infamiæ retulerim; Id quod conſtare nobis liquido poteſt ex intentione & fine, quo hæc ipſa a cruciariis Chriſto eſt impoſita, is vero erat *contemtus*, *illuſio & ludibrium*. Poſteaquam enim Salvator innocentiſſimus ex Pilati judicio traditus fuiſſet ut crucifigeretur, milites Præſidis eum exuebant, chlamydemque coccineam illi circumponebant, tandem & *Coronam ex ſpinis* ſuper caput ipſius figebant, in eum ſcilicet finem, ut affectatos honores Regios, impium hoc hominum genus hac ratione ſalſe, imo deteſtandum in modum, ipſi tanquam falſo Regi, exprobrarent, chlamys enim, Corona & ſceptrum non ſolum olim, pro inſignibus & characteribus regni habita fuêre (25), verum hodie etiam præcipuum in iis occupant locum. Qualem vero Regem impia illa manus Chriſtum agnoſcebat, tali etiam Corona illius caput circumcingebat. Miſellum autem & regio nomine indignum quandoquidem eum judicabat, idcirco & Coronam quæ plena erat dedecoris ei imponebat. Hinc *Tertullianus* (26): *Certe*, inquit, *in Corona Chriſti præter figuram, contumelia in promtu eſt, & turpitudo & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt.* Unde & *Nonnus Panopolitanus Græcus*, Johannis Paraphraſta, hanc Coronam στέμμα νόθον h. e. *coronam ſpuriam* vocat (†). Hæc de ratione tractationis, nunc ad rem.

Et

(25) *Vid. Petrus Gregorius de Republica Lib. VI. cap. 20. Lib. VII. cap. 2. Frid. Rappolti Diſſ. de Inſignibus Principatus cap. 2. & 5.*
(26) *De Corona Milit. Cap. XIV.* (†) *In ſua Paraphraſi cap. XIX.*

Et primo quidem quantum ad *materiam* Coronæ Chriſti attinet, eam *ἐξ ἀκανθῶν* h. e. *ex ſpinis* contextam fuiſſe, ipſa ſacræ ſcripturæ pagina locis citatis apertiſſime teſtatur. Ex quo vero ſpinæ ordine depromtæ fuerint, neque ex ſtatuis aut picturis crucium divinaveris [pictoribus enim quid non licet?], neque ex Interpretibus certo concludere poteris, inter eos enim tanta opinionum diſſenſus, ut cui tuto ſubſcribas, non immerito ambigere poſſis.

Sunt qui ex *Rubo*, quem Græci *βάτον* vocant, contextam volunt hanc Coronam, in quibus eſt *Clemens Alexandrinus* (27), ut conferat cum illo in quo apparuit Moyſi (28), myſterium aliquod, ex utriusque comparatione obſervans. Verum enim vero cum dicente *Caſaubono* (29) adeo multæ ſint ruborum ſpecies, inanis atque inutilis labor foret, quærere, quænam ſpecies ad Coronam hanc fuerit adhibita. Cui tamen ſententiæ *Bartbolinus* (30) ex eo fundamento contradicit, quod duas tantum ruborum ſpecies *Dioſcorides* (31) recenſeat: Rubum *vulgaris notitiæ*, & Rubum I*dæum*. Hunc nemo dixerit, quia ſpinas vel nullas habet, vel minores, ut communi ore eum deſcribunt *Dioſcorides* (32), *Matthiolus* (33), *Dodonæus* (34) aliique; Illum facile admittas, quia duris, minacibus, & aſperis ſpinis apud *Dodonæum* (35) communitur.

Alii *Rhamnum* in Corona Chriſti rubo ſubſtituunt, & quidem majori, ut *Barbolino* (36) videtur, veri ſpecie, tum quia rhamni frequentes, rubi vero nulli in Sancta terra hodie peregrinantibus obvii; tum quia milites cruciarii ejusmodi ſpinæ genus potius eligere voluerint, quod magis pungeret, eoque

 gravi-

(27) *Pædag. Lib. II. cap. 8.* (28) *Exod. III, 3.* (29) *Exercit. ad An. Bar. XVI. obſ. 74.* (30) *De Cruce Chriſti Hypomn. IV. §. 2.* (31) *Lib. IV. cap. 29. ſeq. Conf. Sagittarii Diſſert. de Corona Chriſti Spinea §. XXXIII. ſeqq.* (32) *Loc. cit.* (33) *In Lib. I. Dioſcor. cap 106.* (34) *Pempt. VI. Lib. I. cap. 1.* (35) *Loc. cit. vid. Sagittarium Loc. cit.* (36) *Loc. cit. §. 31.*

graviores excitaret dolores, ut eſt rhamnus. De quo *Plinius* (37) ita ſcribit: *Inter genera ruborum rhamnus appellatur a Græcis candidior & fructicoſior: is floret, ramos ſpargens rectis aculeis, non ut ceteri aduncis, foliis majoribus,* Ita & *Hieronymus* (38): *Rhamnus*, inquit, *ſpinoſus frutex, & arbuſcula ſentibus uncinisque contexta, quæ teneat quicquid attigerit & retentum vulneret, & vulneratorum ſanguine delectatur.* Unde Italis ad huc [præſertim circa Maceratam & Piſaurum, notante id *Bellonio* (39)] *Spina Sancta* vocatur. Licet vulgus Italicus rhamnum *ſpinam ſantam* non ideo dicat, quod Chriſtus eo fuerit coronatus, ſed ob vim amuleti contra veneficia, quæ teſte *Dioſcoride* (40), ei ineſſe creditur; Unde & valvis ac feneſtris eam imponere, mos admodum frequens fuit (41). Quum vero ſint, quæ & huic ſententiæ reponi poſſunt, ea ſimpliciter non eſt admittenda. Interim in ea fuiſſe, invenimus *Hieronymum* (42), *Bellonium* (43), & qui hos ſecutus eſt, *Gretſerum* (44). Varia interim rhamni genera delineata, videat cui placet apud *Cluſium Lib. I. Hiſt. rar. plant. pag. 109. ſeq.*

Rurſus alii *Spinam albam* ad Coronam Chriſti eligunt, quæ *Dioſcoridi* (45) eſt herba aculeata, atque ſic inter carduorum genera. Cujus ſententiæ anteſignanus *Marcellus Empiricus* qui ſub Theodoſio juniori ſcripſit (46): Verba ejus hæc ſunt: *Herba ſalutaris, id eſt, ſpina alba, qua Chriſtus coronatus eſt, quæ velut*

(37) [illegible] XXIV. *cap.* 14. *Conf. Harduinus & Dalecamp. in notis ad h. l.* [illegible] *Excercit. Plin. pag.* 27[illegible] *ſeq.* (38) *In Cap. 2. Aggæi.* (39) *Lib.* [illegible] *cap.* 88. (40) *Lib. I. c.* 102. *vid Loniceri Scholia* [illegible] *Vid Ovid. Faſt. Lib. VI. v. 129. ſeq. & 165. ſeq. Dioſcor.* [illegible] *Loc cit. cap.* 16. (42) *In cap. 3. Habac.* (43) [illegible] *De Cruce Lib. I. cap.* 12. *Conf. Bartholinus Loc. cit.* [illegible] *vid Lonicerus in Scholiis. Conf. Matthiolus in* [illegible] *Salmaſius Loc. cit. pag.* 522. *ſeq.* (46) *Lib.* [illegible]

velut uvam habet, lienem leviter in eodem loco perfricata ſanabit. De qua ſententia *Bartholinus* (47) judicat, eam veritati non adeo adverſari, quod Marcellus eam exſcripſerit e *Scribonio Largo* Medico tempore Claudii vel Tiberii florente, quo vivo fama de morte Chriſti apud Romanos fuit recens. Cui tamen opinioni obſtare videtur, quod ſpina alba inter felices habita fuerit arbores, utpote nuptiis dicata, juxta *Plinium* (48), unde nec veriſimile ſit, illam ad funeſtiſſimum Chriſti ſupplicium adhiberi potuiſſe. Ad quæ tamen laudatus *Bartholinus* (49) regerit: Confectam hanc Coronam fuiſſe e ſpina alba in contemtum Chriſti Regis, ut velut ad lætum inaugurationis feſtum, & ad ſuſpiciendum feliciter regnum, hac fauſti ominis arbore coronatus deduceretur (†).

Denique alii ex *junco marino* quem Græci ὀξύσχοινον appellant, coronam illam fuiſſe compoſitam, tradunt, quales ſunt *S. Vincentius*, *Hugo Cardinalis*, *Nicolaus Lyranus*, *Alphonſus Salmero*, & ex recentioribus *Toletus* & *Jo. Pererius*, quibus ſe ſtrenue oppoſuerunt *Baronius* (50), *Caſaubonus* (51), *Jac. Janſonius* (52), nec non *Delrius* (53), nulla enim eſt junci ſpecies, in cujus deſcriptione vel *Theophraſtus*, vel *Dioſcorides*, vel *Plinius*, vel alii probati Scriptores ſpinas commemorarent. *Thyrſum* autem illum & acumen, in quod deſinunt nonnullæ juncorum ſpecies, inſulſe ſpinas vocaveris, cum unam tantum ſinguli habeant cuſpidem, unde quam multis juncis opus fuiſſet, ut cuſpides caput Chriſti undique ambirent (54). Hinc juncus repugnat intentioni militum, quorum animus erat Salvatoris caput

---

(47) Loc. cit. §. 4. (48) Lib. XVI. c. 18. vid. Harduin. & Dalecamp. in notis. Salmaſius Loc. cit. p. 525. d. (49) Loc. cit. p. 153. (†) Huic de Spina alba ſententiæ ex recentioribus ſuum adjecit calculum Caſpar Sagittarius Loc. cit §. 50. ſeq. (50) In Annal. ad A. C. XXXIV. Num. 86. (51) Loc. cit. (52) In Libro qui inſcribitur Vitta Coccinea. (53) Lectione IX. de Paſſione Chriſti. (54) Vid. Bartholinus Loc. cit.

caput vulnerare, quod junco marino efficere non potuerunt, qui licet acutum habeat cuſpidem non tamen magnopere lædit, cuſpide ejus ex acuminato ſaltem folio emergente.

Interim hanc de junco marino ſententiam *Villamontius* (55) ex eo confirmare fundamento allaborat, quod coronam illam, quæ cum crucifigendus eſſet Chriſtus, ipſius capiti ſanctiſſimo fuit impoſita, ipſe viderit, eamque non e dumis, vepribus aut paliuris, ſed juncis marinis contextam deprehenderit, atque ne ab aliis falſitatis fieret reus, addit, quinquies Chriſtum fuiſſe coronatum, atque ſic quinque diſtinctas adfuiſſe coronas. Verum enim vero quo argumento illud Villamontius notum habuerit, vellem ut nos docuiſſet. Quare illud etiam ex eorum eſſe cenſu, qualia non pauca habentur apud hunc authorem, quæ vel nullam vel exiguam merentur fidem jure meritoque dixeris (56). Accedit, quod *Delrio* in contrarium ſcribit (57), luſtraſſe ſe non ſemel magnam illam coronæ partem, quæ Pariſiis in Sancto Sacello aſſervatur, vidiſſe ſe in Hiſpania, & in Monaſterio de Spina, & Lovanii, & alibi locorum Coronæ ſpinas varias, nullas tamen illarum quidquam cum junco habere commune, ſed rhamnum omnes vel paliurum oſtentare, & Pariſienſem quidem uni ramo plures ſpinas in latere cohærentes, a junco marino plane alienas, quod & *Jacobum Beſium* (58) obſervaſſe, *Bartholinus* (59) teſtatur. *Sed quam mereantur ſpinæ illæ, tot Eccleſiarum depoſitum fidem, meum non eſt judicare. Caſaubonus certum deſiderat teſtimonium* (60). *Id ſcio,* [verba ſunt doctiſſimi *Bartholini* (61)] *tot ubivis locorum, quæ longiori itinere adire licuit, a ſacrorum cuſtodibus monſtrari ſpinas, ut ad Trojanum incendium facile ſufficerent.*

Inter

(55) *In Itinere Terræ Sanctæ pag. 761.* (56) *Vid. Dan. Claſeni Exercitationes Sacræ ad Paſſ. Dom. Lib. II. cap. XX. §. 2.* (57) *Loc. cit.* (58) *De Cruce.* (59) *Loc. cit.* (60) *Loc. cit.* (61) *Loc. cit. §. 5. pag. 155.*

Inter recentiores vero, qui ſuas in hac materia meditationes publici juris fecerunt, illorum ſententia omnibus huc usque recenſitis optimo jure anteponenda, qui ſtatuunt, ſpinoſum illud capitis Chriſti tormentum ex *rubo roſaceo* plexum atque compactum fuiſſe. Eſt hæc ipſa ſententia Medicorum noſtri temporis facile Principis, Illuſtris puta *Georgii Wolffgangi Wedelii* (62), *Med. Doct. Com. Pal. Cæſarei, Conſiliarii & Archiatri Saxonici, Theoretices in alma Salana Prof. Publici*, cujus ut omnia, ita præprimis Exercitatio de Corona Chriſti ſpinea tam erudita tamque limata eſt, ut non poſſim non, quin eam convenienti hoc loco propriis Cl. Viri verbis in medium proferam. De ea vero Vir Illuſtris ita ſcribit: Sed quis fuit tandem aſper ille frutex, quod ſpinoſum illud tormentum, quæ tam acerbæ coronæ materia, quæ ſpina tam deteſtanda, vel ſacra potius, & amoris illecebra? verbo dicam: *Cogitato roſam Saronis, roſam inter ſpinas.* Sæpe accidit, ut dum ſublimia quæritamus, vilia non attendamus, neglectis quæ ante pedes ſunt; id quod experti ſunt communiter autores, in diverſas partes tracti, neſcio quam ſpinam quæritantes illam. Repetam quod volo, *rubus* fuit *roſaceus*, idque probandam jam ſumo non difficulter.

Enimvero, ſi rem ipſam penſitemus & circumſtantias loci, perſonarum, & temporis, ſine dubio fuit ſpina maxime obvia, non longius repetenda, ſed ad manus, promte & facile habenda. Quid magis obvium eſt roſa, ſeu rubo illo laudato? Delicium eſt hortorum, luxuriat in campis, ſpina quaſi univerſalis quædam, nullibi non locorum extans, & ſeſe offerens. Nec hoc ipſum argumentum eſt minimum, ſpinam potius univerſalem fuiſſe, toto orbe extantem, quam certo ſolum loco propriam, quod ad univerſum orbem pertineret fructus.

Spina fuit maxime nota, quis e militibus, & ex ſatellitum plebejorum turba curam habuerit fruticum ſpinoſorum, quos me-

(62) *In Exercitationibus Medico-Philologicis Dec. IX. Exerc. III.*

medicorum filii luſtrant, vel de iis litigant quoque? Roſa omnibus nota, celebrata & decantata non minus ac obvia, ut flore, ita quoque ſpinis. Eſt enim frutex hortenſis ſpinoſiſſimus, & urbanam fuiſſe huic ſcopo impenſam credibile eſt. Quis opifex coronæ plebeius ex agro, e ſylva ſpinas repetierit, quæ ad manus erant? Imo quis ex urbe miſſus, ad ſpinas adferendas, non adferat roſas potius, ſentem & urbem puto, roſaceam ſpinam, quam alias? Fuiſſe vero frequentem roſam & in hortis Judæorum, & in campis, vel ex Sacris notiſſimum eſt, neque de eo quis dubitaverit.

Et licet ramos ſylveſtribus ſpinoſiores nonnulli adſcribant, ac ipſe *Dioſcorides* (63) ἀκάνθας περὶ ταῖς ῥάβδοις ἰσχυρὰς, *robuſtas circa ramos ſpinas cynosbato* tribuat, & urbanas tamen armat ſpina roſas affatim, ut cum capeſtribus in ſua luxurie relictis certare queant. Non differt enim urbana ab hortenſi tam ſpinis, quam cultura & fermento ſpecifico, ut καθ' ἐξοχὴν quaſi ſpinæ notent roſaceas, & vepres quoque conſtituant inſtar omnium.

Nec deſunt plura momenta. Nihil aptius fuit roſæ ſpinis ad coronæ hujus fabricam, ſeu commoditatem ſpectemus, furor arma miniſtrat, ad lædendum, ad injurias inferendas; ſeu uſum. Regii nominis ſarcaſmus exprimendus erat Corona. Roſam ad corollas electam, ſacris & profanis decantatiſſimum eſt autoribus. Quid vero magis contumelioſum contingere poterat, quam roſarum loco, unice corollis aptarum, coronam ſpineam capiti imponere, roſisque ſpinas ſuggerere? Illæ ut odore recreent, corollis inſerviunt, hæ ut aculeis pungerent, & deridendum propinarent, plectuntur & imponuntur.

Accedit, & alibi pluribus locis hanc ſpinam memorari & intelligendam eſſe in Sacro Codice, ſcilicet Gen. XXII, 13. Exod. III, 2. Gen. III, 18 Hebr. VI, 8. Matth VII, 16. Luc. VI, 44.

(63) *Lib. 1. c. 124.*

44. Citra controverſiam igitur intelligenda ſpina hæc fuerit; quæ aliis non unis locis S. Scripturæ celebratur & innuitur, unde nec ἀκάνθη in ſingulari dicitur, quod nomen acaciæ tribui diximus.

Idque tanto concinnius licuerit affirmare, quod roſa campi ſeu Saronis, aliaque inde deſumta loca typum quendam Salvatoris egregium exhibeant, ac paſſionem ac infamiam hanc ſic dudum prænotaverint; uti etiam alias Eccleſiæ ipſi attribuitur.

Eam vero in rem commodum eſt illud quoque delibare; quod rubi nomen non ſolum latius pateat, ſed ipſi roſæ frutici uſitato tribuatur. Locus manifeſtus eſt apud *Plinium* (64): *Roſa naſcitur ſpina verius quam frutice, in rubo quoque proveniens.* Et alibi (65): *Alterum rubi genus eſt, in quo roſa naſcitur.* Idem videtur apud Arabes quoque vox *Alhauſegi* imitari, quæ apud *Ebnſinam* (66) claris verbis rubo adſcribitur, ut alibi ab interpretibus Paliuro quoque. Et maxime notabilis eſt *Phavorini* locus: ῥάμνος, πᾶσα ἄκανθα, κυρίως δὲ ἡ τῶν ῥόδων, *rhamnus omnem ſpinam denotat, principaliter roſæ.*

Hinc velut clavis quædam fuerit hujus obſcurationis & diſſenſus autorum, quod Europæis inquirentibus in Palæſtina, quonam frutice ſpinoſo coronatus fuerit Salvator, reſpondit Græcus *rhamno*, Arabs *Alhauſegi*, unde æquivocatione nominis decepti, ſpinam in genere acceptam, & roſæ in ſpecie competentem, ad rhamnum ſingulariter dictum Botanici applicuêre. Non ſecus ac apud Germanos vox Dornen plane ejusdem eſt tenoris, Græcis etiam alias ἄκανθα & βάτος.

Sed de modo quoque pauca addenda ſunt. Corona *plectilis* fuit, concordi Evangeliſtarum elogio, quæ ex herbis odoratis alias, ramo lauri, myrti, vel ſimili plectebatur, non conſerebatur, neque ſuebatur, deſumta mechanica a capillis fœminarum, quæ complexu diviſo intorta πλέγματα etiam in ſa-

(64) *Lib. XXI. cap.* 4. (65) *Lib. XXIV. cap.* 13. (66) *Lib.* 1. *Tr.* 1. *cap.* 579.

cris audiunt. Hinc ſi verbum hoc, ut pàr eſt, ſequamur, ſuerint tres rami ſpinis interſitis aculeati & hiſpidi roſarum fruticis, ob teneritudinem mobiles, inter ſe ſinuati & circumplexi, in orbem hinc circinati, & capiti divino circumpoſita ſic Corona, non ὁ τῶν ῥόδον ςέφανος, *corona e roſis*, ſed ἀκάνθινος, *e ſpinis contexta*, Huc usque *Wedelius.*

Cæterum ut ex hactenus dictis clarisſime nobis innotuit, quam in varias de *materia* Coronæ Chriſti Spineæ ſententias viri eruditi abeant, idem & de ejus *Forma* atque *Figura* evenire obſervamus. Illi enim qui arborum & fruticum ſpinoſorum genera eligunt, ex duobus vel tribus ramis, in modum circuli inter ſe ſinuatis, complexam fuiſſe, adeoque *Coronæ plectilis* formam habuiſſe docent; Alii vero qui ſpinas ſubſtituunt, neutiquam Coronæ vel Circuli ſed *pilei* ſive *cydaris* formam & figuram habuiſſe tradunt. Hinc *Nicius Erythreus* nec non *Paulus Aringhius* in imagine Chriſti ænea, e Roma ſubterranea eruta obſervarunt, *quod hærentes capiti ſpinæ magis Cydaris, capitis Perſarum Regum inſignis, quam Coronæ geſſerint effigiem, ut eſſent indicio, impios milites, illud regiæ coronæ e ſpinis compactæ genus elegiſſe, quod non tam frontem, cervicem & tempora, quam totum caput acuminibus transverberaret.* Cui tamen opinioni ex eo alii contradicunt fundamento, quod Pilatus aut milites Romani non Perſici habitus figuram elegerint, ſed ſaltem ruditer inſtar Coronæ ſpinas complicuerint in orbem, iisque Chriſti tempora cinxerint. Atque addunt, multum temporis requiſitum fuiſſe, ut cydaris formam ſubiiſſent ſpinæ, cum inſuper conſtet, brevi ſpatio confectum illud Coronæ genus fuiſſe. Interim licet hac in parte nihil certi quid ſtatui poſſit, hanc tamen poſteriorem, de cydaris forma ſententiam, acriter defendit Scriptor Gallicus *Denys Venſeau in Quæſt. curioſis Cap. XXXVI. pag. 261.* (67).

Interea omni in hac controverſia difficultate, facili libera-

(67) *Vid. Claſenus Loc. cit. Sagittarius Loc. cit.* §. *65.*

raremur negotio, ſiquidem certi eſſe poſſemus, cum illam Salvatoris imaginem æream, nuperis annis Romæ erutam, in qua hærentes capiti ſpinæ cernuntur, tum etiam illas Coronæ Chriſti partes ac reliquias, quæ Romæ in Baſilica S. Crucis, Pariſiis in Sancto Sacello, Ovieti in Hiſpania, Luccæ in Hetruria, Wittebergæ in Germania, aliisque locis quam plurimis oſtendi ſolent atque monſtrari, veras illius coronæ, nec ſubleſtæ fidei ſpinas eſſe. Verum enim vero cum reliquiarum illarum tantus ſit numerus atque copia, ut non unius ſolum, ſed vel ducentorum hominum capitibus vinciendis ſufficerent, hinc ſapientiores rectiusve edocti, facile vident, quam innanem atque inutilem illi ſuſcipiant laborem, qui ex particulis illis ac reliquiis, de materia vel forma hujus Coronæ judicium ferre allaborant. Merito igitur *Caſaubonus* (68): *Vellem*, inquit, *Baronius nos docuiſſet, quo argumento notum habuerit, eas ſpinas quæ hodie oſtentantur, tanquam illius Coronæ reliquias, veras eſſe, nec fraudem ſubeſſe.* Idem feciſſe decebat *Vincentium de Valentia* (69), qui memoriæ mandavit, *in Corona illa fuiſſe LXXII ſentes, quorum quilibet tres habuerit acies, & mille vulnera Chriſti capiti fuiſſe inflicta.*

Quemadmodum vero ex hactenus dictis liquidisſime nobis conſtare poteſt, quam infirmo illorum aſſerta ſtent talo, qui ex reliquiis illis, de forma vel materia Coronæ Chriſti ſpineæ, diſputare præſumunt, ita *Villamontius* quoque (70) quando conciliare hæc ſtudet, nulla certe veriſimilitudinis ratione aſſerit, *quinquies* Chriſtum coronatum, atque adeo *quinque* diſtinctas adfuiſſe Coronas. Adverſus quem *Gvilielmus Epiſcopus Tornacenſis* (71) *duas* tantum admittit, & quidem priorem ex *ſpina*, quæ Pariſiis habetur, alteram quæ Aquisgrani aſſervatur ex *rubo*. Quibus *Ferrandus* (72) ſuum

(68) *Loc. cit.* (69) *Sermon. in die Paraſc.* (70) *Loc. cit.* (71) *Lib. de aureo Vellere pag. 88. Conf & Molanus Lib. IV. de Sacr. Imag. cap. 7.* (72) *In Diſquiſ. de Reliquiis Lib. I. cap. 1.*

ſuum quoque calculum adjicit, ita tamen, ut dicat, illam qua Chriſtus in Prætorio Pilati fuerit compunctus, ſpineam fuiſſe, alteram vero ex junco, quam portarit in cruce. Sed quia unius ſolum Coronæ meminerunt Evangeliſtæ, reliquas tacente Scriptura, inter figmenta jure meritove referrimus. Unde & Doctisſimus Jeſuita *Gretſerus* (73), cum hæc ſubſiſtere non poſſe videret, ingenue faſſus eſt: *multas tales ſpinas & Coronas hinc inde oſtendi, quæ Martyrum fuerint, vel aliunde acceptæ, pro Chriſti Corona ſupponi.*

Ultimo tandem loco neque hoc ſicco, ut ajunt, pede prætereundum mihi eſſe video, quod nonnulli tradunt, *Petrum Apoſtolum in memoriam ſpineæ Domini Coronæ, tonſum atque raſum fuiſſe*, unde Monachalis tonſuræ originem deducere, Romanenſium Clerici non dubitant. Equidem antiqua eſt traditio, quam reperimus in *Ceolfridi Abbatis Epiſtola* (74) *ad Naitanum Regem:* quando ſcribit: *Neque vero ob id tantum in coronam attondemur, quia Petrus ita attonſus eſt; ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ paſſionis ita attonſus eſt: idcirco & nos, qui per eandem paſſionem ſalvari deſideramus ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus.* Et paulo poſt: *Formam quoque coronæ, quam ipſe in paſſione ſua, ſpineam portavit in capite, ut ſpinas ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt, exportaret & auferret a nobis, ſuo quemque in capite per tonſuram præferre: ut, ſe etiam irriſiones & opprobria, pro illo libenter, ac promto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant: ut coronam vitæ æternæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe, ſemper exſpectare, proque hujus perceptione & adverſa ſe mundi, & proſpera contemnere deſignent.*

Sunt tamen alii, qui aſſerunt, *non Petrum ipſum* hunc ſibi ritum ſumſiſſe, verum cum miſſus eſſet ad prædicandum Evan-

(73) *Loc. cit. Conf. B. Bebelii Antiqu. Evangel. & Jud. Art. VI. Sect. V.* §. 44. (74) *Apud Bedam Lib. V. Hiſt. Angl. cap. XXII.*

Evangelium, *a gentilibus in contumeliam* fuiſſe tonſum: Sic ſane *Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus* (75): *Duplex*, inquit, *Corona circumpoſita Capiti Sacerdotis ex capillorum ſignificatione, imaginem refert venerandi Capitis Apoſtoli Petri, quæ, cum miſſus eſſet, ad prædicationem Domini & Magiſtri, ei tonſa eſt ab iis, qui ejus ſermoni non credebant, ut illudetur ab ipſis; eique Magiſter Chriſtus benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam convertit.*

Atque hæcce tandem ſunt, quæ tam de Coronis Honoris eorumque oppoſito, Infamiæ ſcilicet & Ignominiæ ſignis, quam etiam in horum claſſe, ſpeciatim de Corona Salvatoris ſpinea, religionis & pietatis ergo, dicenda mihi videbantur, plura atque doctiora qui de ſpinoſo hoc paſſionis Dominicæ tormento cognoſcere avet, ſequentes quos legere mihi licuit, Scriptores evolvat, Cardinalem puta *Baronium* (76), *Iſaacum Caſaubonum* (77), *Franciſc. Quareſmium* (78), *Gerardum Joannem Voſſium* (79), *Emundum Merillium* (80), *Jacobum* Janſonium (81), *Thomam Bartholinum* (82), *Danielem Claſen* (83), *Henricum Müllerum* (84), *Johannem Saubertum* (85), *Val. Henricum Volgerum* (86), *Caſparem Sagittarium* (87), *Georg. Wolffg. Wedelium* (88), & alios, qui argumentum hoc ſumma cura atque varia eruditione abſolverunt.

His

(75) *In Theoria Myſtica Rerum Eccleſiaſticarum Tom. VII. Biblioth. Patrum, quam opinionem quoque ſequitur Jac. de Voragine in Legenda aurea, ubi de Cathedra Petri. Vid. & Proſper Stellartius de Coronis & Tonſuris Paganorum, Judæorum, Chriſtianorum &c. Confer inſuper ea etiam quæ ſupra pag. 4. num. 26. adduximus.* (76) *In Annal. ad Ad. Chr. XXXIV. Num. 86.* (77) *Exercit. in Baronium LXXIV.* (78) *In Elucidatione Terræ Sanctæ cap. XXIII. p. 416.* (79) *In Harmon. Evangel. Lib. II. cap. 5. §. 24.* (80) *In Notis Philolog. in Paſſ. Chriſti §. XI.* (81) *In Vitta Coccinea.* (82) *Loc. cit.* (83) *In Exercit. Sacris ad Paſſ. Chr. Lib. II. cap. 20.* (84) *In Jeſu patiente cap. XXXVII. ſeqq.* (85) *In Exercitatione Acad. de Vulneribus Chriſti § CLII. ſeqq.* (86) *In Phyſiologia Hiſtoriæ Paſſ. Chriſti cap. IV.* (87) *Diſſ. de Corona Jeſu Chriſti ſpinea.* (88) *Loc. cit.*

His itaque abſolutis ad novam nunc Coronarum Pacis claſſem provolvimur, in qua perluſtrandæ nobis veniunt

Articulo IV.

CORONAE VIRTVTIS.

Ratio Nominis & Appellationis. Coronæ Virtutis tanquam præmia dabantur iis, qui de Republica vel animi vel corporis viribus bene eſſent meriti. Hinc diverſa earundem reperiuntur genera. Prioris generis ſunt quæ cuique virtuti datæ atque propoſitæ fuerunt. Quo etiam ſpectant Coronæ Doctrinæ, quæ ipſis Oratoribus, Poëtis, aliarumque Artium Liberalium Magiſtris ac Profeſſoribus dabantur. Cumque Corona Poëtica hodienum adhuc in uſu ſit, hinc de ea ſpecialis inſtituitur diſſertatio, inquirendo ſcilicet in ejus originem & antiquitatem, nec non materiam atque formam, ubi ſimul de jure conferendi moderno ritu Lauream Poëticam diſquiritur. Corporis viribus Rempublicam juvabant atque tuebantur, qui brachiis periculisque ſuis in bello adverſus hoſtes maſcule ſeſe defendiſſent; Atque illæ, quibus ſtrenui & Duces & Milites donabantur Coronæ, uno nomine Militares dicebantur, ſuntque varii generis. Cum vero de Militari nihil quicquam ſperare quis poſſet, niſi prius in athletarum arena, & corpori robur & animo alacritatem acquiviſſet, hinc in ejusmodi quoque certaminibus atque exercitiis, victoribus præmia ſeu Coronæ propoſitæ fuêre. Quæ pro diverſitate ludorum diverſæ atque variæ erant

Coronarum Virtutis nomine nihil ſignificamus aliud, quam ſymbola illa atque præmia, quæ in Græcia pariter & Latio iis cumprimis collata fuêre, qui vel *corporis* vel *ingenii viribus* de Republica bene meriti eſſent, eamque juviſſent. Cujus generis Coronæ apud veteres eo imprimis fini conferebantur, ut aliis incitamento eſſent, adque pares virtutis actiones reliquos inflammarent. Quam ob cauſam *Pindarus* (1) hanc Coronam vocat ξυνὸν ἀνθρώποις ςέφανον h. e. *Communem hominum Coronam*, eo quod ad tale conſequendum decus, nemini præcluſus ſit aditus, modo ſe ſtrenuum præbeat, probum item atque virtuoſum.

Cum

(1) *Olymp. Od. 3. v. 32. vid. Eraſmi Schmidii & Joan. Benedicti notæ in h. l.*

Cum vero quis diverſimode apud veteres Rempublicam juvare potuerit, hinc plures quoque virtutis præmiorum ſpecies ſ. Coronas extitiſſe, plurima veterum Scriptorum teſtantur loca. Ut enim alius conſilio, prudentia, exemplis, profeſſione probitatis, aliarumque virtutum exercitio eam juvabat, alius brachiis periculisque ſuis eam tuebatur atque ſervabat, alius denique huic operi intentos, tanquam Reipublicæ utiles, gratiarum actione ad plus ultra incitabat, hortatione erigebat, ſcriptis denique & laudationibus bene eorum facta poſteritati commendabat diuturnaque faciebat, ſic diverſa etiam cuique propoſita erant præmia. Quæ tamen nemini data fuêre, niſi præcedente ſcrupuloſa & acuratiori cauſſæ cognitione.

Data igitur Corona virtutis primo iis fuit, quorum *Fortitudo, Temperantia, Sapientia, Conſilium, Liberalitas, aliaque virtutum genera*, perſpecta ſatis atque explorata eſſent. Hoc modo Corona *Temperantiæ* ab Apollonio Tyaneo miſſa fuit *Tito* Veſpaſiani Cæſaris filio, is enim cum capta Hieroſolyma inibi eſſet, ut ab finitimis gentibus coronaretur, ea ſe non dignum eſſe profeſſus eſt (2). Pari ratione Coronam *oleæ* tanquam *Sapientiæ* præmium *Themiſtocli* a Lacedæmoniis datam eſſe teſtatur *Plutarchus* (3). Corona *boni conſilii* illa fuit, qua honeſtatus a matronis *Daiphantus* memoratur (4), qui conſilium Phocenſibus dedit, ut uxores una cum liberis in locum lignis circumdatum compulſas, ſi ipſi prœlio victi eſſent, cremarent. *Liberalitatis* illa aurea erat, qua *Demoſthenes*, judicio ac decreto Senatus, ob refectos ſua pecunia muros populo ſpectante donatus eſt (5). Talis quoque illa, qua *Nauſicles* coronabatur, quod propria ſubſtantia neceſſaria militibus diſtribuiſſet (6).

M Cu-

(2) *Vid. Philoſtratus in vita Apoll. Lib. VI.* (3) *In vita Themiſt. T.* 1. *p.* 120. *D.* (4) *Vid. Plutarch. de Virt. Mul. Tom. II. pap.* 244. *C.* (5) *Vid. Cicero de Opt. Gen. Orat.* (6) *Vid. Demoſthenis Orat. de Corona Præfecturæ Navalis. Conf. ejusdem quoque Orationem adverſus Timocratem, Androtionem, nec non contra Cteſiphonem, ubi plura Coronarum virtutis exempla licebit deprehendere.*

Cujus generis Coronarum exempla operoſius congerere, vel ex ea ſupervacaneum duco cauſſa, quod ex ampliſſimo hujus materiæ campo, exitum ſane vix invenirem, ſi omnes Coronarum ſpecies prolixius hic perſequi vellem, quæ cuique Virtuti datæ atque propoſitæ fuerunt. Quare brevitatis cauſſa hæc nominaſſe ſufficiat. Reliqua *Paſchalius* (7) ex monumentis Hiſtoricorum ſumma cum cura & ſtudio, congeſſit atque compilavit.

Cæterum huic quoque Claſſi adſcribendæ veniunt Coronæ *Doctrinæ.* Nam licet ingenii facultates ac dotes proprie non ſint virtutes, tamen quod ſunt in famulatu virtutum, atque adeo dicente *Paſchalio* (8) veluti buccinatrices, virtutibus annumerari poſſunt. Hinc fit ut *Muſas* coronatas legamus, nec non *Poëtas*, *Artes* quoque *Liberales*, earumque *Magiſtros* & *Profeſſores* (9). Talem Coronam ereptam ſibi conqueritur *Plato* (10) innuitque eam *Euripides* (11). Muſas coronatas fuiſſe ſupra jam probatum dedimus (12). Sigillatim vero *Muſarum cultores*, h. e. Eloquentiæ & Artium Liberalium Profeſſores priſco more coronatos fuiſſe, variis id demonſtrari poteſt exemplis (13). Hanc tam nobilem Coronam *Empedocles* capiti ſuo his ex græco translatis imponit verbis (14):

Urbem qui flavi ad ripas Acragantis amici
Incolitis magnam, res & curatis honeſtas,
Salvete, immortalis ego converſor apud vos,
Ut par eſt, Deus, & tali me dignor honore,
Formoſis vinctus vittis, roſeisque corollis.

Facundiæ vero Coronam nominat *Tacitus* (15), quando perdidis-

(7) *Lib. V. cap. 9. 10.* (8) *Loc. cit. cap. 8. p. 309.* (9) *Arithmeticæ Coronam deſcribit Martianus Capella Lib. VII. Satyrici. conf. Paſchalius Loc. cit. cap. 11.* (10) *In Epiſtola XIII.* (11) *In Hercule fur. Act. 11.* (12) *Pag. 64.* (13) *Vid. Paſchalius loc. cit.* (14) *Vid. Diogenes Laërtius Lib. VIII. ſerm. 54. conf. Paſchal. Loc. cit.* (15) *Lib. XVI. An. Cap. 4.*

diſſimos mores principis hiſtrionis, ludionis, aurigæ, inceſti & demum parricidæ deſcribit.

Interim cum parum utique ſit res bene gerere, niſi geſtæ ſcriptis quoque illuſtrentur poſteritatique commendentur, hinc ipſos quoque *Oratores*, atque *Poëtas* (quod fortium deque Republica bene meritorum facta vel ore, vel ſcriptis laudarent, memoriæque committerent) Coronis donatos atque honeſtatos olim fuiſſe legimus. Quod genus Coronæ tam expeditum præmium fuit, ut de iis inter illos acribus non minus ſtudiis, quam inter pugiles & athletas, quive a militaribus exercitamentis gloriam quærebant, decertaretur ſæpiſſime (16). Hanc ipſam *Nero Claudius* teſte *Suetonio* (17) affectavit: *Et orationis quidem*, inquit, *carminisque Latini Coronam, de qua honeſtiſſimus quisque contenderat, ipſorum conſenſu conceſſam ſibi recepit.* Pari ratione *Theodectem* quendam Pharſalitem Poëtam, Scriptorem tragoediarum & orationum tum etiam artis Rhetoricæ Profeſſorem e ſacris literarum certaminibus, iisque tredecim retuliſſe octo Coronas incorruptas ex *Stephano* (18) *Paſchalius* memorat (19). Loquitur quoque de Corona Poëtica vetus inſcriptio opidi Iſconium dicti, in regione Italiæ Ferentana, quam ex *Lazio* (20) deſcriptam, hoc loco adponere bene viſum fuit.

L. PVDENTI. HIC. QVVM. ESSET. ANNOR. XIII.
ROMAE. CERTAMINE. SACRO. IOVIS. CAPITOLINI
LVSTRO VI. CLARITATE. INGENII. CORONATVS
EST. INTER. POETAS. LATINOS. OMNIBVS
SENTENTIIS. IVDICVM. HVIC. PLEBS. VNIVERSA
MVNICIPIVM. ISCONENTIVM. STATVAM. AERE
COLLATO, DECREVIT. CVRAT. R. P.

(16) *Svetonius in Nerone cap. XII. A. Gellius Lib. XVII. cap. 4. Plutarchus Sympoſ. Lib. II. qv. 4. & Lib. V. qu. 2. Conf. Fabri Agoniſticon Lib. I. cap. 3. & 26. Lib. II. cap. 14.* (17) *Loc. cit.* (18) *De Urb. voce* Φάσηλις. (19) *Loc. cit. pag. 320.* (20) *Comment. Reip. Rom. Lib. X. cap. 7. pap. 837.*

Imprimis vero *Poëtarum Corona* antiquiori illo ævo magni ſemper fuit habita. Quum enim iſti virorum fortium deque Republica optime merentium facta canerent, eorumque virtutem & fortitudinem ſcriptis, literarumque monumentis perpetuam redderent, hinc factum eſt, ut Poëtis non minus, quam ipſis rerum bene geſtoribus, corona tributa fuerit, ceu ex ſubſequentibus planum fiet.

Conſtabat vero Corona Poëtarum omnium prima ex *hedera*, cujus rei teſtis eſt *Plinius* (21). Idem confirmat *Horatius* (22) in his ad Julium Florum verbis:

- - ſeu condis amabile carmen
Prima feres hederæ victricis præmia.

Pari ratione *Virgilius* (23):

Paſtores hedera creſcentem ornate Poëtam.

Sic *Ovidius* (24) in ultimas miſſus terras, quando omnem a ſe jucunditatem, nominisque ſui æternitatem abdicari, *hederam* imagini ſuæ his ab amico demi vult verbis:

Si quis habes noſtris ſimiles in imagine vultus
Deme meis hederas, Bacchica ſerta comis.
Iſta decent lætos felicia ſigna Poëtas.
Temporibus non eſt apta Corona meis.

Ratio autem ob quam Poëtæ hedera coronati fuêre, hæc adduci ſolet, quod vini-potores fere ſint Poëtæ (25), hedera autem calorem temperat capiti impoſita, unde etiam ut Bacchæ inſa-

---

(21) *Lib. XVI. cap. 34. Conf. Gyraldum Dial. I. de Poët. Hiſt. pag. 16.*
(22) *Ep. Lib. I. 3. v. 24. ſeq.* (23) *Eclog. VII. 25. Conf. Ecl VIII. 13.*
(24) *Triſt. Lib. I. Eleg. 6. ab init. vid. Notæ in Edit. Schrevelii.* (25) *Plerique enim Poëtæ συμποτικοὶ habentur, ſicut de Ennio ipſo Poëtarum Latinorum Patre ſcribitur, quod nunquam ſe ad arma canenda contulerit, niſi madidus & uvidus. Similem in modum Homerus etiam vinoſus fuiſſe creditur, quod vinum in ſcriptis ſuis ſæpius laudaverit. vid. Lambinus in Not. ad Hor. Lib. I. Ep. 19. v. 19.*

inſanire dicuntur (26). Vel propter ſimilitudinem quandam, quod ut hedera ſemper viret, pari modo & inſignium illorum Poetarum Carmina æternitatem & aliis parebant & ipſa merebantur (27). Succeſſu vero temporis ſpeciatim *Jamborum* Poetæ, quos *Avtocabdalos* olim fuiſſe nuncupatos legimus, *hederacea* utebantur Corona, ut ex *Semo Delio* Grammatico *Atheneus* (28) memoriæ reliquit.

Sed *quercea* etiam illos nonnunquam coronatos fuiſſe conſtat, quod quercus olim fatidica habebatur (29), imprimis vero *Heroici*, quemadmodum contra *Erotici Myrto*, quippe myrtus non ſolum veneris eſt, ſed & illorum omnium, qui Veneri celebrandæ operam impendunt; Hinc *Ovidius* Poëta, ſtrenuus ille Veneris cultor, myrto redimiri amat (30) ſcribens:

Finis adeſt operi, palmam date grata juventus;
Sertaque odoratæ myrtea ferte comæ.

Imo & ex *palma* (31), nec non *oliva* (32) variaque florum mixtura, queis *apium* (33) quoque admiſtum, plexa Corona Poëtis adſcribitur. Illa vero, quæ ex *urticis* fiebat, mordacibus

 &

(26) *Hinc Güntherus Lib. I. Ligurini: Solis licet inſanire Poëtis. Modus autem inſaniendi, Horatio teſte acquiritur, ſi nimirum quis novies bibit Lib. III. Carm. Od. 19. v. 13. ſq. vid. Lambinus in h. l. Conſ. Hor. Lib. I. od. 16. v. 8. & Lambinum in h. l. Polyd. Vergil. Lib. I. de Inv. Rer. c. 8. De Furore Poëtico legi meretur Morhofius in Oratione de hoc argumento, & Henr. Muhlius in Diatriba de Enthuſiaſmo Poëtico* (27) *Vid. Servius & Taubmannus in not. ad Virgilii loc. cit. Pierius Hierogl. Lib. LI. cap. 1. Chabotius Comment. ad Hor. Lib. I. od. 1. v. 29.* (28) *Deipnoſ. Lib. XIV. cap. 4.* (29) *Virgil. in Culice v. 146. conſ. Taubmannum in h. l. Claudianum Lib. IV. de Laud. Stil. 136.* (30) *Lib. II. de Art. am. 733. ſq. conſ. Paſchal. Lib. VII. cap. 18.* (31) *Auſonius Ep. XX. vid. Scaliger. in h. l.* (32) *Horat. Lib. I. od. 7. v. 7. Conſ. hic omnino Lambinum in h. l. & Turnebum Adverſ. Lib. XI. & XIX.* (33) *Virgil. Ecl. VI. 68. conſ. Lud. de la Cerda Comment. in h. l.*

& mendacibus Poëtis, ob ſcommatum ſatyrarumque ſcriptiones, merito exhibenda foret, de qua *Auratus* (34) loquitur:

Convenit urticæ mordacibus herba Poetis,
Hac potius cingi Vectice dignus eras.

Denique illud quoque commemorari hic meretur, priſcis temporibus Poëtas corollis quoque ex *pennis pavonum* compactis, redimitos fuiſſe. Idque ob eam rationem, ut dogmatis Pythagorici de animarum transmigratione notam, præ ſe ubique ferrent (35); Creditum enim Pythagoram habuiſſe animam Pavonis, quæ poſt ejus mortem in Homerum, poſtea in Ennium demigravit (36). Eo ſane reſpexiſſe videtur Poëta *Perſius* quando canit:

- *Poſtquam deſtertuit eſſe*
Mæonides Quintus, pavone ex Pythagoreo (37).

Ejusmodi ex pennis pavonum compacta corona ornati Poëtæ iconem æri expreſſam, videat cui volupe eſt, in *Georgii Phil. Harsdörfferi Specimine Philol. Germ. Diſq. IX. pag. 181.*

Cæterum etſi hactenus oſtendi, Poëtas olim varia materia coronari ſolitos, tamen ſucceſſu temporis Coronam Poëticam utplurimum fuiſſe *lauream*, non uno demonſtrari poteſt teſtimonio. Probant id ipſum innumera veterum ſcriptorum loca, ex quibus potiora in medium vocare lubet, ne gratis hæc a me dicta videantur. Hoc exemplo *Horatius*, quando Poëticam ſibi deberi profitetur Coronam, *laurum* nominat (38):

- - - *Sume ſuperbiam*
Quæſitam meritis & mihi Delphica,

Lau-

(34) *Apud Pontanum in Att. Bell. Synt. V.* (35) *Chaſtueil aux diſcours ſur les Arts triomphaux.* (36) *vid. Laertius in Pythagora Lib. VIII. §. 14 Tertull. Lib. II. de anima cap. XIV. Hieron. Apol. III. in Rufin. Conf. Standleji Hiſt Phil. in Pythagora P. III. Sect. II. cap. 9.* (37) *Sat. VI. 10. 11. Vid. Annæus Cornutus, Jo. Britannicus, Theod. Marcilius in Notis ad h. l. Paulus Merula in Comment. ad Ennii Annales pap. 66. ſeq. Conf. & Auctores ad Num. 36. citatos.* (38) *Lib. III. Od. ult. in fine. Vid. Chabotius in h. l.*

Lauro cinge volens Melpomene comam.

Eodem modo *Ovidius* (39) hac ſe redimitum fronde gloriatur ſcribens:

Thyrſus enim vobis, geſtata eſt laurea nobis.

Ita etiam *Dracontius* laurum expreſſe vocat *præmium Poëtarum* (40) quando dicit:

Linguæ laurus honos ſolvit donanda Poëtis.

Quibus *Statius* (41) quoque ſuum adjicit calculum canens:

Tempus erit, cum laurigero tua fortior œſtro
Facta canam.

Ratio vero ob quam Laurea præprimis Corona capitibus Poëtarum ſacrata fuit, non una eademque ab auctoribus adducitur. Nonnulli (42) eam Poëtis *propter ſingularem doctrinam* adſcribunt; quemadmodum enim laurus ſola fulmine non icitur (43), ita & Poëtæ a temeritate & ignorantia immunes eſſe putabantur. *Pierius* (44) per laurum *inſitam in ingenio vim ac venæ fœcunditatem, Apollinis irradiatione locupletem* intellexiſſe veteres dicit. Alii Vates olim vaticinaturos *Laurum comediſſe* tradunt, quippe Laurus inde *μαντικῆς σύμβολον* (45), vatumque geſtamen (46) dicitur. Unde *Heſiodus*, cum geſtaſſet laurum, factum ſe eſſe Poëtam tradit, nec non præteritorum ac futurorum accepiſſe cognitionem (47). Pari ratione & *Dionyſius* in

Pa-

---

(39) *Lib. II. de Ponto El. V. v. 67.* (40) *De Opificiis VI. dierum.* (41) *Lib. I. Thebaid. v. 32- Achil. Lib. I. v. 26. vide Barthium in notis ad hh. ll.* (42) *Autor Anonymus Lib.* V. *Collect. Hieroglyph. Pierianis affixorum.* (43) *Plinius Lib. XV. cap. 30. conf. Svetonius in Tiberio cap. LXIX. Contrarium tamen exemplo quodam oſtendit Brodæus in Notis ad h. l. Interim de Natura Lauri Vid. Dioſcorides* Lib. *I. cap. 90. Et in eundem Valerius Cordus fol. 460. Scaliger in Ariſtot. Lib. II. de Plantis pag. 135. Theophraſtus de cauſis Plant. cap. 13. fol. 294. Cardanus de Subtil. Lib. VI. pag. 270.* (44) *Loc. cit.* (45) *Vid. Meurſius in Arboreto Sacro Lib. I. cap. 4.* (46) *Vid. Marcellus Palingenius in Geminis.* (47) *In Theogonia. verſ. 30. ſeq. Conf. Tzetzes in Prolegom. Heſiodo præm. Unde & Lycophron Poë-*

Panegyricorum ratione, laurum μαντικὸν φυτὸν, id eſt, *vatidicam arborem* appellat.

Interim quicquid hujus ſit, poſthabita reliqua coronæ Poëticæ materia, in moderna Poëtarum Coronatione, ſola *laurus* locum obtinet. Ex quo ritu illos qui hanc adepti ſunt Coronam, *Poëtas Laureatos* nominari, lippis & tonſoribus notum eſt.

Quantum vero ad *primam* Coronæ Poëticæ *Originem* attinet, extra omne poſitum eſt dubium, primis illis temporibus Poëtas pro ſuo lubitu, ſine auctoritate ſuperioris, hanc vel illam ſibi ſumſiſſe ac impoſuiſſe coronam. Nam ut ſacerdotes, ſacrorumque Miniſtri ac vates, rem ſacram facientes coronati conſpiciebantur, pari ratione & Poëtæ verſus condituri, velut auſpicato ſe fronde coronabant, Deos ſibi conciliantes hac tanquam religione; Illuſtratur id ipſum teſtimonio *Horatii* dicentis (48):

Fronde comas vincti cœnant & carmina dictant.

Et rurſus (49):

- - Sequere & procul audi
Quid ferat, & qua re ſibi nectat uterque coronam.

Similiter & *Lucretius* (50) capiti ſuo ipſemet circumponit coronam dicens:

- - Juvatque novos decerpere flores;
Inſignemque meo capiti petere inde coronam
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ.

Subſecutis vero temporibus, ubi hominum ſuperſtitio Poëtas, propter vim quam prætendebant vaticinandi (51), quodve ſacri

---

ta, ea de cauſſa δαφνηφάγον *vatem nominat, vid. Meurſius in Comment. ad Lycophronis Alexandram pag.* 100. *Conf. Tibullus Lib. II. El.* 5. *v.* 64. *ſeq. Gyraldus de Poëtarum Hiſt. Dial. II. Steno Kierulff in Diſſert. de Poëta ex eſu* Lauri, *Hafniæ* 1709. *habita.*
(48) *Lib. II. Ep. I. v.* 109 *Vid. Val. Flaccus* Lib. *I. Argon. Conf. Turnebus Adverſ. Lib. XIX. cap.* 3. (49) Lib. *cit. Ep.* 2. *v.* 98. (50) *Lib. IV, v.* 3. *ſeq.*
(51) *vid. Chriſtoph. Jaſtrami Program. de Poëtis Prophetis.*

ſacri furoris inſpiratione pleni carmina canerent, mirum in modum eveheret, vehementerque admiraretur, factum inde eſt, ut hac arte inſignes Poëtæ, cum a populo, tum etiam ipſis Principibus, *publice* cohoneſtarentur Coronis (52). Licet principio apud Romanos per longa temporum intervalla nullus plane Artis Poëticæ honos fuerit (53), tantoque contemtui Romæ habita, ut ſi quis in ea re ſtuderet, *graſſator* diceretur h. e. juxta *Feſtum* (54) *adulator* & *paraſitus*, ideo nimirum quod ut paraſiti & adulatores per plateas Urbis Romæ graſſabantur ad captandam alienam menſam, pari ratione & famelici Poëtæ artem hanc non negligerent. Quocirca *M. Fulvio Nobiliori* vitio datum eſt, quod is conſul cum eſſet in Ætoliam provinciam Q. Ennium ſecum duxiſſet (55).

Succeſſu tamen temporis factum eſt, ut poſt Punicum Bellum ſecundum, aucto Imperio, domi foriſque pace adepta, hæc quoq; ſtudiorum pars incrementum Romæ ſumeret (56), ſummoque cultu atque honore illi haberentur, qui carmine abſolvendo videbantur excellere (57). Donec tandem Domitiani tempore ipſi Poëtæ publicis etiam afficerentur honoribus, quive in Agonibus Capitolinis Victores evaſiſſent, coronis donarentur. Quæ ſubſecutis temporibus tanti fuerunt habitæ, ut jus illud & judicium conferendæ hujus coronæ, ipſi Romanorum Imperatores ſibi ſeponerent, imo ipſam quoque Coronam Poëticam ſibimet ipſis reciperent (58).

Ceterum licet nonnulli ſint, qui *publice Poetas coronandi ritum* longe antiquiorem faciant (59), tamen absque omni

N con-

(52) *Vid. Scaliger. Lib. I. Poet. cap. 1. & 2. Herm. Kirchnerus Orat. de Laude Poëſeos.* (53) *Vid. Gellius Lib. XI cap. 2.* (54) *In hac voce.* (55) *Vid. Notæ ad Locum Gellii cit. in Edit. Thyſii & Oiſelii.* (56) *Vid. Gellius Lib. XVII cap. 21. Conf. Notas ad h. l. in Edit. jam dicta. Horat. Lib. II Ep. I v. 12. vid. Lambinus in Notis ad h. l.* (57) *Vid. Crinitus in Præf. Libri de Poëtis.* (58) *Vid. Suetonius Loc. cit. Paſchalius Lib. V cap. 14. pag. 130. Henelius Otio Vratisl. Cap. XIII.* (59) *Vid. Petri Fabri Agoniſticon Lib. I. cap. 3. pag. 7. ſeq. & cap. 26. pag. 89. ſeq.*

controverſia *Domitianus* Cæſar primus fuit, qui poteſtatem hanc Regalibus adjunxit (60). Poſteaquam enim Agonas Capitolinos inſtituiſſet, in quibus omne genus artificum certabant, *Citharoedi* ſcilicet, *Hiſtriones*, *Poetæ*, &c. hinc præmia quoque & Coronas (61) conſtituit iis, qui victores inter reliquos eſſent pronunciati. Quem morem poſtea a Domitiani inſtitutione, usque ad ſua tempora viguiſſe *Cenſorinus* ſcribit, Agonque ipſe ſemper manſit Romæ, ut in ea Poetæ, Rhetores, aliarumque profeſſionum homines coronarentur ab ipſo Imperatore, neque aliunde Poetarum Laureatorum morem manſisſe Cl. *Scaliger* (62) arbitratur.

Cum vero ſobſecutis a ſecundo ſtatim P.C.N. Seculo temporibus non ſolum, in Latio ſed ipſa etiam Græcia eveniret, ut integro ſeculo vix naſceretur Poëta, verum etiam poſt tertium fere ſeculum denſisſima orbem invaderet barbaries, quæ omnem Muſarum ſuavitatem excludebat, exitiumque indicabat (63), hinc factum eſt, ut quemadmodum ipſum Poëtarum nomen incognitum plane fieret, pari ratione & ritus cotonandi eosdem, ex animis & memoria hominum penitus evanuerit, donec tandem Seculo XIV. Laurea illa Poëtica rurſus evireſceret, cum *Franciſcus Petrarcha Italus* ſignum ad literaturam politiorem tollebat, primusque exulantem humanitatem orbi reſtituebat. Quæ res Viro huic illorum temporum literis & eloquio præ aliis Clariſſimo, tantam peperit exiſtimationem, ut juſſu Roberti Siciliæ Regis, Urbisque Romæ Senatus voluntate, magna deni-

Seldenus de Tit. Hon. Part. II. Cap. I. §. 42. ſeq. Zieglerus Diſſ. de Jure erigendi Acad. §. 29. ſeq. (60) *Vid. Suetonius in Domitiano cap. IV. Conf. Alexander ab Alexandro Lib. VI. cap. 19. pag. 652. Faber Loc. cit.* (61) *Et quidem Lemniſcatas h. e. in quibus torques ſ. tæniæ purpureæ dependebant. Vid. Turnebus Lib. XIIX. Cap. 3. Scaliger Loc. cit. Plinius Lib. XXI. cap. 3. Conf. Dalecampius in Notis.* (62) *In Notis ad Auſon. Lib. I. cap. 10.* (63) *Vid. Voſſius de Poetis Lat. cap. III. & IV. Græcis cap. IX. Io. Zwingerus in orat. de Barbarie ſuperiorum Sec. Morhoſius in Polyhiſt. Tom. I. Lib. I. cap. 2.*

nique populi frequentia & acclamatione, a Stephano Pontifice Romano, poſt neglectum per aliquot ſecula Poëtas coronandi ritum, primus Laurea Poëtica coronaretur publice. Quod luculentum & inſigne Doctrinæ præmium ipſe Petrarcha ingenti Nobilium turba comitatus, tholo & umbilico teſtudinis templi S. Petri perpetuæ memoriæ ergo, ſuſpendit atque affixit. Factum id eſſe nonnulli (64) tradunt Anno R.S.M.CCC.XXXIIX, alii (65) vero ad Annum M.CCC.XXXIX, rurſus alii (66) ad M.CCC.XL. referunt. *Alexander* vero *Velutellus* (67) ut & *Pap. Maſſonus* (68), & qui (69) hos ſequuntur, poſteriori annorum numero, unum adhuc ſuperaddunt. Quorum vero nullus præter *Velutellum*, verum hujus rei annum attigit, ut monumenta Coronationis Petrarchianæ clariſſime id convincunt.

Tandem cum literæ latinæ etiam trans Alpes migrare, atque inter alios populos Germanorum cumprimis animos emollire inciperent, felici eventu factum eſt, ut una cum aliis bonarum artium diſciplinis, laurea quoque Poëtica inter eos evireſceret. Primus igitur qui *in Germania*, lauream a Friderico III. Imperatore, maximo dignitatis argumento adeptus eſt, *Æneas Sylvius* fuit, cum miſſu Pontificis Romani legationis officio in aula Cæſarea fungeretur (70). *Germanorum* vero *omnium primus*, cui hic honos contigit, *Conradus Celtes* erat, quippe qui ab eodem Imperatore A. C. 1478. in arce Noribergenſi, publice hac donatus eſt corona (71).

Ex quo tempore Ars Poëtica ejusque honor, indies majora ſumſit incrementa, ita ut Maximilianus Imperator A. MDLI.

 Aca-

(64) *Platina in Vita Benedicti XII. pag.* 261. *Nauclerus Vol. II. Gener.* 45. (65) *Calviſius in Chron. ad A.* 1339. (66) *Sabellicus Lib. VIII. Enn.* 9. (67) *In Vita Petrarchæ Italice ſcripta.* (68) *In Vita Petrarchæ.* (69) *Paſchalius Lib. V. cap.* 14. *pag.* 329. *Taubmannus in Orat. de Lingua Lat. Henelius Loc. cit. alii.* (70) *Vid. Platina in Vita Pii II.* (71) *Vid. Ejus Vita a Societate Literaria Rhenana deſcripta. Goldaſtus Conſtit. Imp. Tom. III. pag.* 482. *Freherus in Theatro pag.* 1435. *A. Poetica Gieſſenſium in Præf. Seldenus Loc. cit.* §. 43.

Academiæ Vindobonenſi Quintam Facultatem conſtitueret, (*) *Collegium* ſcilicet *Poëticum*, cujus privilegia deinceps Ferdinandus I. A. MDLVII. Cæſarea auctoritate confirmavit, vigore cujus, ſecutis temporibus non ſolum in Vindobonenſi, ſed aliis etiam Germaniæ Academiis, (quales ſunt Argentoratenſis, Altorfina &c.) quæ illud adeptæ ſolenniter exercent privilegium, quamplurimi creati ſunt Poëtæ Laureati, quos ex adepta hac dignitate, *Poëtas Laureatos Cæſareos* vocari in vulgus notum eſt (72).

Cum autem virtus, judice *Seneca*, nec ſexum eligat nec cenſum, conveniensque ſit, ut nemini cujuscunque ſexus & ſortis ſit via & inveſtigatio ad culturam artium virtutumque denegetur, hinc deprehendimus, ut, quemadmodum in Græcia puellis quoque ac mulieribus exercitia ludorum, [excepto ſaltu] permitterentur, unde & coronam ſæpe merebant (73), pari ratione & a Laurea quam dicunt Poëtica, minime excluſas fuiſſe (74); Confirmat hoc quod aſſerimus *Catharina Pacenſis* Fœminæ Hiſpanæ exemplum, quippe quæ poſt multam recitationem latinorum verſuum, ſacris ſæpe & publicis certaminibus, primum Hiſpali & Compluti Lauream judicum ſententia meruit (75). Eandem dignitatem adepta quoque eſt *Eliſabetha Joanna Weſtonia*, generoſa virgo Angla dein Joannis Leonis in Aula Cæſarea Agentis Uxor, hæc enim quum & peritia præcipuarum Europæarum Linguarum, & variis Poëticis ſcriptis per totum orbem literatum magnam ſui adepta eſſet famam atque admirationem, in tantam apud eruditos venit exiſtimationem, ut digna fuerit habita, in Poëtarum Coronatorum

(*) *Vide Copiam Bullæ Regiæ erectionis Collegii Poetarum in Celtis Lib. IV. Amorum ſub fin.*

(72) *Vid. Poëtica Gieſſ. Loc. cit. Jo. Schultze Diſſ. de Poetis rituque eos coronandi.* (73) *Vid. Pauſanias Lib. III. pag. 172 Suetonius Loc. cit. Faber Loc. cit. Lib. I. cap. 9.* (74) *Rationes vid. in Margaris Lieb-und Lob-Andencken Floridans pag. 275.* (75) *Vid. Tom. II. Hiſpan. Illuſtr. Conf. Schultze Loc. cit. cap. II. §. 18.*

rum adoptari numerum. Conſtare idipſum nobis poteſt, ex carmine Sapphico, quod Paulus Meliſſus Com. Pal. Cæſ. una cum Laurea doctiſſimæ huic fœminæ transmiſit, cujus clauſula ita ſonat:

Quid Comes Palatinus eruditæ
Inſuper vati tribuam benignius?
Lauream Daphnæa tuos decebit
Laurea crines (76).

Atque hic coronandi Laurea Poëtas ritus in quibusdam Germaniæ Academiis conſtanti adhuc viget uſu. Licet interim quotidiana teſtetur experientia, ardorem illum ambiendi hanc Coronam, noſtro hoc ſeculo vehementer ceſſare atque exoleſcere, imo in eum pedetentim venire deſpectum, ut expeti hunc honorem ab ejusmodi utplurimum hominibus videamus, quorum pleroſque non niſi ad ſcholarum ſubſellia natos eſſe jure meritoque dixeris. Idque ex ea forte ratione, quod ut moderna Poëſis multis paraſangis ab antiquioris illius remota eſt dignitate, utilitate atque præſtantia, parili modo & Laureæ hodiernæ, magna ſit diſcrepantia a priori illa, tempore Virgilii aut Domitiani Imperatoris uſitata. Quo enim nunc apud non paucos, antiquior illa Poëſeos Poëtarumque ſive dignitas ſive divinitas conceſſit? Ad Utopiam, & ad Inſulas non fortunatas, ſed Augiæ & Megeræ conceſſit, culpa non divinæ Poëſeos ſed Poëtarum [ſi ita vocandi], qui totam fere Europam inſtar novi cujusdam Ulyſſis, ſive percurrunt, ſive perreptant, & ſuorum carminum Æoſicorum ventorum utres aperiunt, & promiſcue quosvis iſto velut ſpiramine afflant, mendicis voluntariis longe ſæpe audaciores & pejores. Qui fabulas viles & ſerviles, non niſi Veneris nefanda ſtupra, Junonis quotidiana

(76) *Vid. Lib. III. Parthen. laudatæ Virginis. Thomaſius Diſſ. I. de Eruditione Fœminarum Th. I. §. 50. Lotichius in Biblioth. Poet. Part. I. pag. 97. Paullini Hoch- und Wohlgelährtes Frauenzimmer pag. 159. ſeq.*

diana jurgia in medium adducunt, illiſque juventutem & Phædriam Terentianum ſeducunt. Verba ſunt *Thomæ Sagittarii* (77).

Faciunt quoque in rem præſentem belle admodum ea, quæ ſequentibus continentur verſiculis, quos eapropter huc tranſcribere haud abs re futurum putavimus:

Magna fuit quondam viridis reverentia lauri,
Attamen hoc noſtro tempore nulla fere.
Cauſſa datur: Romana parum Grajumque Poëſis
Floret, Germanus quisque Poëta ſibi.
Eſt equidem patriæ, fateor, ſua gloria linguæ,
Atque Palatino judice ſerta meret;
Carmina at ex aliis, & quæ non fecimus ipſi,
Haud ea noſtra puto, nec toleranda reor (78)

Interim ex ea utique ratione evenire videmus, ut multi non ſolum ipſam Lauream Poeticam prorſus rideant, inque morem coronandi Poetas acriter invehantur (79), verum etiam de ipſa moderna Poeſi ejusque cultoribus, ſatis objecte judicent, mordacibusque dicteriis eos traducant (80).

Hoc tamen non obſtante viget adhuc in quibusdam Germaniæ Academiis, coronandi Poetas conſuetudo, Vindobonenſi puta, Argentoratenſi, Altorſina, nonnullisque aliis. Reliquæ jus illud aut recuſarunt penitus, aut inſuper habuêre, fortaſſe quod ſuperioribus temporibus non pauci eſſent, qui Poetas pro Magis & Hæreticis haberent (81), alii exterminandos e Republica, cum Platone (82), cum Spartanis non recipiendos (83), cum Ægyptiis ſacerdotibus; eorundem artem ſummo ſtudio

---

(77) *In Oratione de Nonnullis hujus Seculi Poetis. Jenæ 1614. habita.* (78) *Vid. Schultzii Diſſ. ſub fin.* (79) *Lilius Gyraldus Dial. I. Hiſtor. Poet. Lipſius in Satyra Menippea.* (80) *Vid. Tanaq. Faber. de Futilitate Poeſeos. Corn. Agrippa de Vanit. Scient. Cap. IV. Parrhaſiana Tom. I, Reflex. 1.* (81) *Vide crebra hujus rei veſtigia in Epiſtolis obſcur. virorum. Conf. Squarza Ficus in Vita Petrarchæ.* (82) *Lib. X. de Republ.* (83) *Vid. Plutarchus in Inſtit. Lacon. Conf. & Cebetis Tabula.*

dio cavendam, ſuaderent (84). Unde nec aliqua in Jure Civili iis tributa privilegia (85), ſive quod *graſſationibus* h. e. adulationibus utplurimum deditiſſent (86), ſive quod veritatem qua nihil nobis debet eſſe amabilius, aut involucris occultarent, aut ſæpius negligerent, fatente id *Ovidio* (87)

Exit in immenſum fœcunda licentia vatum,
Obligat hiſtorica, nec ſua verba fide.

Ceterum neque illud mihi prætereundum eſſe video, cuinam hodie jus conferendi Poetis Lauream competat? de quo diſceptatum aliquando inter eruditos fuit (88). Antiquitus quidem inſignes illos Poetas ab ipſis Romanorum Imperatoribus Lauream accepiſſe ex ſupra dictis innotuit. Moderna vero praxi teſte, non ab ipſo Imperatore, ſed per ejus vicarios, quos *Comites Palatinos* vocari conſtat, Poetis ea confertur (89). Licet negari interim non poſſit, nonnullos ex iis ut in aliis ſui officii partibus, ita & in conferenda Laurea Poetica, ſæpe hac ſibi elementer conceſſa poteſtate abuti, coronamque hanc turpiter proſtituere, quando longiſſimo jam tempore dignitatem hanc venalem habere, aſinisque eam imponere cœperunt, quæ res exinde variis Satyris mordacibusque dicteriis occaſionem dedit (90).

Ulti-

(84) *Vid. Iſidorus Sent. de Sum. Bono Lib. III. cap. 13. Conf. Petrus Crinitus de Honeſt. Diſcipl. Lib. V cap. 4. Scaliger Lib. I. Poet cap. 3.* (85) *L. Poetæ III. Cod. de Profeſſ. & Med. Rationem vero hujus Legis vide apud Waltherum de Privileg. Doctorum pag. 434. Conf. Cujacius Comment. in h. Leg. ubi dicit: Poetæ immunitatem non habent, non quod non ſint ea digniſſimi, ſed quia Lex deficit.* (86) *Vid. Not. 53. 54. & Conf. Scipionem Gentilem Parerg. Cap. I. & II.* (87) *Lib. III. Amor. El. VII. v. 41. ſeq. Conf. Heſiodus Loc. cit.* (88) *Vid. Lipſium Loc. cit. Henelium Loc. cit. Thomam Sagittarium Diſp. de Jure & Privil. Com. Pal. Cæſ. Th. XXXI.* (89) *Conf. Sagittarius Loc. cit. Henelius Loc. cit. Seldenus Loc. cit §. 38. ſeq. Mundius de Comit. Pal. Cap. III.* (90) *Vid. Satyra elegantiſſima: Reime dich oder ich freſſe dich, das iſt, Schellen- und Scheltens würdige Thorheit Bœotiſcher Poeten in*

Ultimo tandem loco & de *Figura* ſeu *Habitudine* hujus co- ornamenti quædam in medium eſſent proferenda. Verum e- nim vero cum ſciam, cotexendæ huic Coronæ leviorem adhi- beri curam, nec ex alia materia, niſi Lauri foliis ubique obviæ eam conſui, licet quandoque illa folia ex charta picta germa- num Lauri colorem & figuram exprimente, fieri conſueverint, quibus & baccæ quandoque muliercularum artificio deaura- ræ, immiſcentur, pedem igitur hic figo, lineamque hujus tra- ctationis abſolvo. Ne vero gratis iſta a me videantur dici, provoco hac de re ad teſtimonium & benignam informationem Illuſtris quem ſupra laudavimus *Wedelii*, cui ut alia, ita & ea quæ de habi- tudine Coronæ Poeticæ modernæ hic aſſerimus, ſumma gratia- rum actione publice hoc loco accepta referimus. Pleniorem inte- rim qui de Corona Poetica rituque Poetas coronandi avet cogni- tionem, ſequentes evolvat Scriptores, *Alexandrum* ſcilicet *Dona- tum* (91), *Michaelem Picartum* (92), & qui huic præivit *Theo- dorum Marſilium* (93), *Joh. Scaligerum* (94), *Iſ. Voſſium* (95), *Poe- ticam Gieſſenſium* (96), *Thomam Reineſium* (97), *Nicolaum He- nelium* (98), *Jo. Frid. Hekelium* (99), *Jo. Seldenum* (100), *Joan- nem Schultz* (101), *Frid. Caſp. Hagen* (102) alios. Speciatim vero exempla Poetarum, qui ne verſum quidem componere ſcive- runt, legi merentur apud *Henricum Bebelium* (103).

Quemadmodum vero usque adhuc illorum Coronas lu- ſtravimus, qui *animi viribus* Rempublicam juvabant, hinc ſu- ſceptæ

Teutſchland, vorgeſtellet von Hartmann Rheinholden. Nordhauſen 1673. Conf. Obſervationes Hallenſes Tom. VI. obſ. 7. (91) *Lib* I. *Poet. cap. 41.* (92) *Orat. ſingulari de Commiſſionibus & Coronatione Poe- tarum pag. 199. ſeq* (93) *In Notis ad Perſium pag. 3. ſeq.* (94) *In Lect. Auſon. Loc. cit & Lib. I. Poet. cap 41.* (95) *De Art. Poet. Nat. cap.* X (96) *In Præfatione.* (97) *In Variis Lectionibus Lib I. cap. 19.* (98) Loc. cit. (99) *Diſſ. de Poetarum Coronatione, quæ A. 1672. 12. au- ctior prodiit.* (100 *Loc. cit* (101) *Diſſ. de Poetis rituque eos coronan- di.* (102) *Diſſ. de Poetarum Coronatione.* (103) *In Facetiis paſſim.*

ſceptæ tractationis methodus atque ordo poſtulat, ut porro nunc de iis quoque Coronamentis agamus, quibus eorum capita condecorata fuêre, qui *corporis viribus*, bracchiis ſcilicet periculisque ſuis eam tuebantur atque ſervabant. Hæ generali appellatione dicuntur *Coronæ Militares*, quippe quod fortes & Milites & Duces in bello eas, tanquam virtutis & ſtrenuitatis militaris præmia, merebant atque adipiſcebantur.

Referuntur autem hæ ipſæ in Claſſem Coronarum *Virtutis* eo, quod Græci vim illam & ſtrenuitatem quæ eſt in bello, παρὰ τὴν ἄρην a bello, ἀρετὴν *virtutem* nominent (104). Ut enim Dux ſive Imperator ductu cenſetur, ita militis propria & peculiaris virtus eſt ſtrenuitas atque fortitudo, quæ Græcis alias ἀνδρεῖα, ἀριςεία & ἀνδραγαθεία dicitur (105). Hinc Cynicus ille apud *Lucianum* (106) ἰσχὺν *vires* ſeu *robur* ἀρετὴν σώματος h. e. *Virtutem Corporis vocat*. Pari ratione & *Cæſar* (107): *Nec minus*, inquit, *ſe in milite modeſtiam & continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem deſiderare.*

Aſt cum ad hanc corporis virtutem, non uno impetu aut greſſu perveniatur, ſed ſenſim & per gradus, hoc eſt, per illa exercitamenta corporis, quæ ad virtutem bello ſpectatam ducunt, hinc in talibus quoque certaminibus atque exercitiis præmia propoſita, victoribusque Coronas datas & exhibitas fuiſſe deprehendimus, idque eo, quod virtus illa & fortitudo, in illis exercitamentis & certaminibus, quæ *Paſchalio* (109) jure meritoque *effigiata prælia* aut ipſorum *ſimulachra*, *Pindaro* (109) *primitiæ bellorum*, *Philoni* (110) vero *armatæ meditationes adornantium inter amicos ea, quæ parantur in hoſtes*, dicuntur, non minus quam in bello cerni potuerit optime, proximeque ad bellum accederet.

(104) *Vid. Author Etymologici in Voce* ἀρετή. (105) *Vid. Paſchalius Lib. VI. cap. I. pag. 337.* (106) *In Cynico pag. 964. Edit. Salmur.* (107) *De Bello Gallico Lib. VII. Cap. 52.* (108) *Loc. cit. pag. 338.* (109) *Olymp. Oda II. ſtatim ab initio, in Epinicio Theronis vid. Eraſ. Schmidium in notis.* (110) *De vita Moſis Lib. I. pag. 503.*

Differebant itaque Coronæ Militares ab iis, quæ in athletarum Certaminibus dabantur eo, quod poſteriores iſtæ ordine naturæ illas præcederent. Nec enim quis de Militari quicquam ſperare facile poterat, niſi prius in athletarum arena, & corpori robur & animo alacritatem atque conſtantiam acquiſiviſſet. Quem ordinem atque ductum in ipſa horum præmiorum perluſtratione, nos quoque ſequemur, conſiderantes impræſentiarum eas, quæ in *Athletarum* agonibus merebantur, Coronas, Militaribus ſpecialem relicturi tractationis ſectionem.

Dicuntur autem Coronæ *Athleticæ*, quod in *quatuor* illis Græciæ *ſolennibus ludis*, vel ut alii vocant, *certaminibus*, datæ & propoſitæ eſſent victoribus. Quemadmodum vero ipſos ludos diverſos invicem fuiſſe conſtat, ita ipſa quoque præmia & coronæ diverſi fuerunt generis. Aliæ enim erant *Olympicæ*, aliæ *Pythiæ*, aliæ *Nemeæ*, aliæ denique *Iſthmicæ*.

OLYMPICA dicebatur, quod illos inſigniret, qui in ludis & agonibus, a *loco Olympici* dictis, ubi quarto quovis anno celebrari conſueverunt, victores inter athletas evaſiſſent; *cæſtu* ſcilicet, vel *curſu*, vel *ſaltu*, vel *diſco* [quem jacebant], vel *palæſtra* (111). Quotusquisque enim in aliquo horum certaminum genere viciſſet, ejus inſigne fuit *Corona Olympiaca*, quæ penes judices & magiſtros certaminum repoſita erat, [& quidem priſco more ſuper *tripode æneo*, in templo Jovis Olympici, poſtea ſuper *menſa* partim ex auro, partim ex ebore fabricata (112)] usque dum abſoluto certamine & examine, judicioque peracto, is qui viciſſet, per præcones pronunciaretur, eaque publice cohoneſtaretur.

Quan-

(111) *Pindarus in Olympicis paſſim. Pauſanias in Eliacis. Alexander ab Alexandro Lib. V. cap. 8. Cœlius Rhodiginus Lect. Ant. Lib. XIII. cap. 17 Nat Comes Mythol. Lib. V. cap. 1. Schmidius in Prolegom. ad Pindari Olymp. Pfeifferus in Antiquit. Græcis Lib. I. cap. 49.* (112) *Vid. Pauſanias Loc. cit. pag. 309. Virgilius Lib. V. Aen. v. 110. Conf. Taubmannus in Notis ad h. l. Schmidius Loc. cit. pag. 9. b.*

Quantum vero ad materiam hujus Coronamenti attinet, plexum hoc ipſum fuit ex *Oleaſtri* h.e. agreſtis olivæ ramis duobus, vel ut *Paſchalius* (113) autumat, ex uno continuo. *Cælius* equidem *Rhodiginus* (114), ex quodam *Ariſtotelis* (115) loco evincere nititur, Coronas Olympicas non ex κοτίνῳ ſeu *Oleaſtro*, ſed ex Ἐλαίᾳ ſeu *oliva* plexas fuiſſe, quamvis ex *Pauſania* (116), *Plinio* (117) *Ariſtophane* (118), aliisque probatæ fidei Scriptoribus pateat, κότινον revera ad hoc coronamenti genus adhibitum fuiſſe, ac ſolummodo nomen ἐλαίας καλλιστεφάνου accepiſſe, ceu pluribus id ipſum probatum dedit *Petrus Faber* (119), *Paſchalius* (120), poſtque hos *Eraſmus Schmidius* (121); idque ob eam rationem, quod Hercules Idæus, qui Olympica certamina primus inſtituit, Oleaſtrum ex Hyperboreis in Græciam intulerit, eoque primus coronatus fuerit (122).

Typus vero ſeu *Figura* Coronæ Olympicæ ex olea, prout in multis Græciæ Antiquæ Nummis apud *Golzium* (123) aliosque veterum Numiſmatum Commentatores conſpicitur, ita, ut hic vides, ſeſe habet.



Atque ex hac materia, longa temporum ſerie, Coronæ Olympicæ plexæ fuêre, ſucceſſu vero temporis luxuve creſcente *aurea* (124) tandem

(113) *Lib. VI. cap. 18. pag. 402.* (114) *Lib. VII. cap. 19.* (115) *In Admira. Auſcult.* (116) *Loc. cit. pag. 315.* (117) *Lib. XV. cap. 4. vid. Dalecamp. in Notis.* (118) *In Pluto Act. II. Sc. 5. circa fin.* (119) *In Agoniſtico Lib. II cap. 22.* (120) *Loc. cit. cap. 19.* (121) *Loc. cit.* (122) *Pauſanias Loc. cit. Plutarchus in Lycurgo Tom. I. pag. 58. Diod. Sic. Lib. IV.* (123) *In Numiſm. Græciæ Ant. Tab. X. XIV. XV &c.* (124) *Vid. Pindarus Olymp. Od. XI. 13. Pythi. Od. X. 51. Neme. Od. I. 27. Conf Metaphraſis Lat. in Edit. Benedicti in h. l. Ubi ad locum poſteriorem in Notis haecce legi: Appellantur aurea oleaſtri folia, vel ob colorem flavum, vel ob dignitatem coronarum, quas auro pretioſores cenſebant. vid. &*

dem factæ ſunt; His princeps uſus in ſuis ludis dicitur *Craſſus*, cui propter ſtupendam rerum copiam *Divitis* titulus eſt impoſitus; hic enim teſte *Plinio* (125) *primus fuit, qui ſuis ludis coronam foliis aureis argenteisque exornatam dedit.*

Cæterum neque illud ſilentii peplo involvendum eſt, ſcilicet, Coronam Olympicam tantæ apud veteres Græcos dignitatis fuiſſe, ut dicente *Tullio* (126), *victorem Olympicum citari, prope majus fuerit & glorioſius, quam Romæ triumphaſſe*; Græcorum enim majores ita magnos honores victoribus in his ludis conſtituerunt, ut non modo in conventu ſtantes cum palma & corona ferrent laudes, ſed etiam revertentes in ſuas civitates, cum victoria triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias inveherentur, reque publica perpetua vita conſtitutis vectigalibus fruerentur (127). Denique ut perpetua maneret adeptæ hujus coronæ memoria, victorum non ſolummodo nomina in Olympico Gymnaſio conſcribebantur, verum etiam eorum pene omnium ſtatuas, Olympiæ in luco Jovis dicari mos fuit frequentiſſimus (128).

Unde avidiſſimis auribus Græci excipiebant nuncios, qui filios victores a præconibus renunciatos eſſe afferebant: imo adſunt quoque nonnullorum exempla, quos magnæ hujus gloriæ cupiditas nimia, in talem rapuit furorem, ut videntes filios hac Corona donatos, præ gaudio expirarint illico, quemadmodum de *Diagoro Rhodio Gellius* (129), de *Chilone* vero *Lacedæmonio Plinius* (130), id ipſum memoriæ reliquit. Olympicæ & ordine & dignitate proxima eſt Corona

PY-

Alexander ab Alexandro Loc. cit. Paſchalius Loc. cit. cap. 20. Muretus Var. Lect. Lib. XV. cap. 7. (125) *Lib. XXI. cap. 3. Vid. Dalecamp. & Harduinus in Notis.* (126) *Orat. pro L. Flacco.* (127) *Vid. Vitruvius in Præfat. Lib. IX.* (128) *Pauſanias Lib. VI. ab initio. Conf. Schmidius Loc. cit. Paſchalius Lib. VI. cap. 6. 7. 8.* (129) *Lib. III. cap. 15. Conf. Cicero* Lib. I. *Quæſt. Tuſcul. Plutarchus in Pelopida Tom. I. pag. 297 B.* (130) *Lib. VII. cap. 32. Simile exemplum apud Valer. Max. de muliere in filii occurſu mortua lege Lib. IX. cap. 12.*

PYTHICA, ſic dicta a ludis *Pythicis*, qui *Delphis* clariſſimo Phocidis in Græcia Oppido, novenniis primum, deinde quinquenniis ſingulis, & quidem circa veris initium celebrari conſuevêre (131), in quibus Græciæ Juvenes *pugna*, *bigis*, *curſuque* certaſſe, *Ovidius* (132) his docet verbis:

> *Hic* [in ludis Pythicis ſcil.] *juvenum quicunque manu, pedibusve, rotave*
> *Vicerat, eſculeæ capiebat frondis honorem.*
> *Nondum Laurus erat.*

Ex quibus & de materia hujus coronamenti liquido nobis conſtare poteſt. Nexa enim primum fuit ex *Eſculo*, deinde inventa lauru facta eſt *laurea*, cujus rei rationem vide apud *Pauſaniam* (133). Solon equidem apud *Lucianum* (134): *In Pythiis, mala ſ. poma Deo ſacra victoribus propoſita fuiſſe* tradit, in quibus tamen *Johannes Bodæus* (135), & qui hunc ſequitur *Eraſm. Schmidius* (136), per μῆλα intelligit *Delphicam laurum*, quæ maximis baccis pomorum inſtar atque e viridi rubentibus fuiſſe docet. *Paſchalius* vero μῆλα illa per *fructum palmæ* ſive mala enata e palma interpretatur (137). *Idem author Loc. cit.* ex his *Pindari* (138) verbis: Ἱέρων ἐν ᾇ κρατέων τηλαυγέσιν ἀνέδησεν Ὀρτυγίαν στεφάνοις, h. e. *Hiero in ea vincens late ſplendentibus redimivit Ortygiam coronis*, evincere conatur, & Pythicam Coronam e frondea factam eſſe *auream*; Cui *Petrus* quoque *Faber* (139) adſtipulatur, quando ſcribit: *Varias autem in ipſo agone Pythio, ut variis temporibus* [*ſi non etiam iisdem*], *Coronas fuiſſe victoribus conceſ-*

 ſas,

(131) *Vid. Pauſanias Lib. II. cap.* 3. *Pindarus in Pythionicis. Plutarchus Symp. VIII. Qu.1. Natalis Comes Loc. cit. cap. 2. Eraſm. Schmidius in Proleg. ad Pindari Pythion. Paſchalius Lib. VI. cap. 25. Faber in Agoniſt. Lib. II. cap 24.* (132) *Lib. I. Metam. v. 448 ſeq.* (133) *Lib. X. pag. 622. Conf. Ælianus Var. Hiſt. Lib III. cap. 1.* (134) *In Dialogo de Gymnaſiis.* (135) *Vid. Pfeifferus Loc. cit. Lib. I. cap. 50. pag. 133.* (136) *Loc. cit. pag 12.* (137) *Loc. cit. pag. 431.* (138) *Pyth. od. II. 10. ſeq.* (139) *Loc. cit. Lib. II. cap. 24. pag. 187.*

ſas, ex auro, pomis, eſculo, e Grammaticorum Commentariis percipitur. Cui tamen opinioni *Er. Schmidius* (140) ex eo fundamento contradicit, quod τὸ τηλαυγέσιν hoc loco, non *ſplendorem* aut *fulgorem auri*, verum adeptæ hujus coronæ *celebritatem* denotet, quæ per totam Græciam usque in Siciliam præconum laudibus peragrabat.

Interim quicquid hujus ſit, illud tamen extra controverſiam eſt poſitum, magnam apud veteres Græcos hujus quoque Coronæ fuiſſe exiſtimationem. Unde apud *Plutarchum* (141) legimus, *Sicioniis numen prædixiſſe, civitatem opus habere flagellatoribus, quod Teletium puerum, qui Pythicam Coronam meruiſſet, eo honore fraudaſſent.*


Formam vero & *Habitudinem* hujus Coronæ quod concernit, de ea nihil habeo quod hic adducam, idque ex ea potiſſimum ratione, quod nulla plane hujus Coronamenti veſtigia, in Nummis Antiquæ Græciæ a me ſint inventa, licet diligentiſſime apud *Golzium*, *Vaillantium*, aliosque rei Nummariæ Commentatores, requiſita. Pythicam celebritatem & Coronam ſequitur

NEMEA, quam ii merebant, qui in certamine ſive ludo *Nemeo*, in quo Græciæ juvenes *Curru*, cui quatuor equi juncti erant, decertabant, victores evaſiſſent (142). Fuit autem hæc Corona æque ut aliorum ludorum celebrium, ex materia vilioris conditionis, ne ſcilicet lucri cauſſa, ſed ob virtutis decus certaſſe viderentur. Et quidem initio ex *Olea*, usque ad bella Medica tempore Xerxis & Artaxerxis: ubi *apio* victores coronari cœptum eſt, eoque *viridi*, in memoriam Opheltæ, qui ſuper

(140) *In notis ad jam cit. Pindari locum.* (141) *De his quæ ſero a numinibus puniuntur Tom. II. pag. 553. A. Conf. Paſchalius Lib. VI. cap. 25. ſub fin* (142) *Vid. Pauſanias in Eliac. II. ſ. Lib. VI. Pindarus in Nemeon. Lucianus Loc. cit. Strabo Lib. VIII. pag. 248. Natalis Comes Loc. cit. cap. 3. Faber Loc. cit. Lib. II. cap. 23. Schmidius in Prolegom. ad Pindari Nemeon.*

per apio reptans a dracone ictus fuerat, quemadmodum *Alexander ab Alexandro* (143) ex *Pauſania Lib. II.* annotatum reliquit. Alias ſi non veras, veriſimiles tamen adducit cauſſas *Paſchalius*, ob quas apium Coronamentis Nemeis fuerit adhibitum (145).

Cæterum ut hujus quoque Coronæ, Lector curioſe, notitiam habeas, en Tibi illius formam, qualem Cl. *Patinus* (145) ex Nummis antiquiſſimis nobis exhibuit.



Quartum denique & ultimum in Claſſe Coronarum Græciæ certaminum locum, ſibi vendicat Corona

ISTHMICA, quæ ſuam adepta eſt appellationem a ludis Iſthmicis, in quibus horum certaminum victoribus data atque propoſita fuit. Hi autem ludi ita vocati ſunt a *loco*, *Iſthmo* ſcilicet *Corinthiaco*, ubi ad templum Neptuni Iſthmii, pinuum luco opacum celebrari mos fuit (146). Et quidem tertio quovis anno ineunte (147), aut ſi *Plinio* (148) habenda fides, ſingulis quinquenniis.

Quemadmodum vero reliquorum certaminum Coronas ex re vili confectas novimus, pari ratione & ea quæ antiquitus in agone Iſthmico victoribus dabatur, ejusdem fuit generis, & quidem primum ex *pinu* (149), deinde ex *Apio* ξηρῷ h. e. *arido*

(143) *Lib. V. Geneal. cap. 8. Vid. Plinius Lib. XIX. cap. 8.* (144) *Loc. cit. cap. XXVI.* (145) *Loc. cit. pag. 85. & 116. Vid. & Vaillantius de Numiſm. æreis Imper. Part. I. p. 62 & 118.* (146) *Vid. Pauſanias in Corinthiacis ſ. Lib. II. Pindarus in Iſthmicis paſſim. Schmidius in Prolegom. ad Pindari Iſthm. Natalis Comes Loc. cit. cap. 4. Pfeifferus Loc. cit. cap. 51. Faber Loc. cit. cap. 23.* (147) *Pindarus in Nemeis Od. VI. Epod. 6. vid. Schmidius in h. l. Faber. Loc. cit.* (148) *Lib. IV. cap. 5. Solinus Cap. XII. quos tamen refutat Schmidius in Proleg. ad Pindari Iſthm. pag. 3.* (149) *Vid. Lucianus Loc. cit. Pauſanias in Arcadicis ſ. Lib. VIII. pag. 531. ſeq. Plinius Lib. XV. cap. 10. Plutarchus Sympoſ. Lib. III. Qu. 3.*

do (150); quæ Coronamenti hujus materia per longa temporum intervalla manſit, donec aliquot ſeculis poſt, *pinus* denuo recepta fuit, ut *Plutarchus Loc. cit.* annotatum reliquit.

Cæterum huc intendere digitum videtur S. Apoſtolus, quando I. Cor. X, 24. 25. argumento a certaminibus gymnicis tanquam a re, Corinthiis, apud quos Iſthmiæ agebantur bene nota, deſumto, ad certamen virtutis eos adhortatur, coronamque ἀφθάρτον quam Chriſtiani ex ſuo curriculo habent, confert cum corona φθαρτῷ, quam victores athletæ in agone Iſthmico merebant atque adipiſcebantur (151).



De *Habitudine* autem & *Forma* Coronæ Iſthmicæ ex pinu factæ, ex adſcripto hoc Typo conſtare nobis poteſt, eam vero ita depictam hic damus, prout in Nummis quibusdam antiquis, quos Cl. *Vaillantius* (152) explicavit, conſpicitur.

Atque hæc in genere de Coronis Pacis, nec non ſpeciatim de illis præmiis, quæ in certaminibus Græcorum ſacris, data atque propoſita fuerunt, dicta ſunto. Sequuntur nunc ex methodo ſuſceptæ tractationis, quæ bello & militiæ inſerviebant. Sit itaque Sectionis primæ

CLASSIS II.

DE CORONIS MILITARIBUS.

Ratio Ordinis & Connexionis. Nominis ſignificatus. Coronarum Militarium Antiquitas, Dignitas apud Romanos, atque Origo. Diverſa earum

(150) *Vid. Schmidius in Notis ad Pindari Olymp. pag. 312. in Prolegom. ad Nemea pag 3. Iſthmica. pag 5. 44.* (151) *Conf. Grotius in Notis ad b. l, Schmidius Loc. cit.* (152) *Loc. cit. Part. I. pag. 188. 204.*

earum pro diverſitate perſonarum, Ducum ſcilicet vel Militum quibus datæ fuerunt, genera. Aliæ enim promiſcue & Ducibus & Militibus dabantur, tales erant α) Civica, β) Caſtrenſis, γ) Muralis, δ) Navalis, quarum ſingularum notamus Etymologiam, Synonymiam, Materiam ex qua, & tandem ipſam Figuram ſeu Habitudinem. His porro annectimus ε) Coronas Victrices, quarum appellatione illas Militarium Coronarum ſpecies comprehendimus, quibus utebantur non ſolum ſinguli, verum etiam tota cohors, totæ urbes, univerſi denique milites victores &c. ζ) Cæſaris Caligulæ Exploratorias, & tandem η) quas Zonaras vocat Equeſtres. Ducibus peculiares & propriæ erant 1) Obſidionales, 2) Ovales, quarum obſervamus Etymologiam, Materiam & Figuram. 3) Triumphales. Harum duo fuerunt genera, alias enim dabant Milites Duci ſuo, cujus duas deprehendimus ſpecies, unam Lauream, alteram Auream magni ponderis, quam Triumphator gremio Jovis Capitolini dedicabat. Secundi generis erant, quæ Triumphatori a provinciis & ſociis, gratulationis & venerationis ergo mittebantur, inque triumpho Triumphatori præferebantur. Et hoc quidem coronarum decus, licet ipſis Romanis quaſi proprium videatur, nihilominus tamen Græcis etiam in uſu fuiſſe, variis demonſtratur exemplis.

Hucusque illa Coronamentorum genera fuêre pertexta, quæ *Pacis* tempore orta & utplurimum uſurpata fuiſſe diximus. Nunc in ea quam ingreſſi ſumus linea, ad *Coronas Bellicas* discurſus provolvitur, quas exinde ita dictas fuiſſe conſtat, quod in *bello* & *militia*, fortibus Ducibus & Militibus datæ atque donatæ eſſent, unde & *Militarium Coronarum* adeptæ ſunt appellationem.

Ante vero quam ſpeciali eas luſtramus conſideratione, circa antiquitatem earum obſervamus, quod olim coronis uti, niſi qui in ſacris viciſſent certaminibus, nefas omnino habitum fuerit, ſucceſſu autem temporis a ludicris illis certaminibus edocta poſteritas, Imperatores quoque ſuos ac Milites, ob aliquod magnum in bello patratum facinus coronavit, ſcilicet ut unius præmium alios inſtar calcaris incitaret, adque pares virtutis bellicæ actiones invitaret. Cui rei cognoſcendæ non parum lucis & auxilii affert Epigramma *L. Sicinii Dentati*, ex

Plinio (1), *Valerio M.* (2), *Gellio*que (3) formatum, inque antiquiſſimis Urbis Romæ Inſcriptionibus ſequenti modo exaratum:

> L. SICCIVS (4) DENTATVS. TRIB. PL.
> CENTIES. VICIES. PRAELIATVS. OCTIES
> EX. PROVOCATIONE. VICTOR. XLV. CICA
> TRICIBVS. ADVERSO. CORPORE. INSIGNIS
> NVLLA. IN. TERGO. IDEM. SPOLIA. COEPIT
> XXXIV. DONATVS. HASTIS. PVRIS. XIIX
> PHALERIS. XXV. TORQV. III. ET. LXX
> ARMILLIS. IIX. MVRAL. III. OBSIDIONALI. I
> FISCO. AERIS. X. CAPTIVIS. XX. IMPERATORES
> IIX. IPSIVS. MAXIME. OPERA. TRIVMPHANTES
> SECVTVS.

Ex quibus non ſolum de *Donativis* militum, qualia apud Romanos fuêre, *armillæ*, *torques*, *haſtæ*, *phaleræ*, omnia ex auro confecta (5), verum etiam de ipſis *Coronis Militaribus* liquido nobis conſtare poteſt, quas Imperator militibus, ſi quorum ſingularem in prælio virtutem animadverterat, præmii titulo diſtribuere ſolebat. Ubi illud quoque notamus, quod in Latio, militari Corona inſigniri tam honorificum fuerit, ut nullus in bello major honos cuiquam obtingere potuerit, licet nonnullæ earum viliſſima materia, gramine puta, frondibus aliisque ſimilibus conſtarent, adeoque vix aſſe redimendæ. Hinc Imperator Auguſtus ſalutis meritisque publicæ Princeps peritiſſimus, ne in contemtum abirent, admodum rarenter militem

---

(1) *Lib. VII. cap. 28. Vid. Harduinus & Dalecampius in Notis.* (2) *Lib. III. §. 24. Vid. Colerus in Notis,* (3) *Lib. II. cap. 11.* (4) *Apud antiquos Scriptores modo Siccinus modo Sicinus legitur, Plinii meliores libri Sicium nominant. Vid. Alexander ab Alexandro Lib. IV. cap. 18. & variæ Doctorum in h. l. notæ. Salmaſius in Exercit. Plin. p. 47. ſeq.* (5) *Vid. Alexander ab Alexandro Loc. cit. & Lib. V. cap. 34. Lipſius de Mil. Rom. Lib. V. Dial. 17. Vid. Thyſii & Oeſelii Notæ ad jam citatum Gellii locum. Jo. Nicolai de Romanorum Triumpho Cap. X.*

tem illis coronis donabat, adeo ut frequentius militum virtutem aureis argenteisque donativis honoraret, quam coronis ex gramine & frondibus (6). Ex quibus de *Dignitate* pariter harum Coronarum facile eſt colligere.

Quantum vero ad primam Coronarum militarium *Originem* attinet, *Vulcanum* earundem inventorem eſſe, nonnulli (7) docent, *Schneiderus* (8) contra ex *Valerio M.* (9), *Athenienſes* primum militari Corona cives decorandi conſuetudinem introduxiſſe, videtur ſtatuere. Verum enim vero cum *Valerius M.* loco citato expreſſis verbis dicat, illam qua Periclis caput Athenienſes cinxerunt coronam, *ex duobus oleæ ramulis* plexam fuiſſe, & quidem *honoris cauſſa*, ut *Oliverius* ad hunc locum loquitur, ob miram ſcilicet qua XL. annos Athenienſium Rempublicam gubernavit prudentiam, hinc dicendum utique erit, Athenienſes primo conſuetudinem introduxiſſe cives *Corona Honoris* decorare, neutiquam vero *Militari*, nullam enim ex militarium claſſe, *oleaginam* fuiſſe ex mox ſequentibus planum fiet.

Ceterum Coronæ Militares multifariæ fuerunt, quarum quæ nobilisſimæ erant, ſequentes *Gellius* (10) enumerat, *Triumphalem* ſcilicet, *Obſidionalem*, *Civicam*, *Muralem*, *Caſtrenſem*, *Navalem*, & eam, quæ *Ovalis* dicta fuit, quibus ſingulis diverſa materia, forma atque dignitas. Has ſi in univerſum paulo accuratius conſideremus, liquido apparet duplicis eas fuiſſe generis. Aliæ enim *Militibus ac Ducibus* promiſcue dabantur, aliæ vero *Ducibus* erant peculiares atque propriæ. In priorem Claſſem collocamus

(6) *Simon. Majolus Dier. Canic. Colloq. VI. pag. 496* (7) *Vid. Schneiderus Diſſ. de Στεφανοφορία Cap. II.* §. 3. (8) *Loc. cit.* (9) *Lib. II. cap.* 6 §. 5. *Vid. Oliverius in notis ad h. l.* (10) *Lib. V. cap.* 6. *Conf. omnino notas elegantisſimas ad h. l. in Edit. Thyſii & Oeſelii.*

I. CORONAM CIVICAM.

Huic ex eo primum aſſignamus locum, quod una & conſentiente antiquitatis voce, inter omnes militares coronas ut *nobiliſſima* eminuerit, nec enim ſine evidentis periculi contemtu & inuſitatæ virtutis documento mereri potuit, qui enim civem ab hoſtibus circumventum liberabat, is amicior certe alterius libertati quam ſui ipſius erat ſaluti. Accedit quod apud Romanos propter prærogativam Urbis Romæ, magnum utique fuerit ſervare hominem Romanum. Unde Lucullus apud *Plutarchum* (11) *malle ſe*, inquit, *unum ex hoſtibus ſervare civem Romanum, quam omnia quæ hoſtium eſſent capere.*

Porro duplicem Corona hæc ſortita eſt appellationem, a *Cive* enim ſervato ſcilicet & ſervatore *Civica*, à *materia* vero *Quernea* ſive *Quercea* dicta fuit, qua de re *Claudianus* (12):

Mos erat in veterum caſtris, ut tempora quercu
Velaret, validis fuſo qui viribus hoſte
Caſurum potuit morte ſubducere Civem.

Data igitur hæc ipſa fuit a Cive Civi, a quo ſervatus erat in prælio, tanquam vitæ ſalutisque perceptæ teſtimonium, nobiliorque erat aureis bellorum præſertim civilium tempore, licet in bello civili nullum huic coronæ locum fuiſſe, *Paſchalius* (13) ex eo afferat fundamento, quod tum civis civi hoſtis eſſet, ac proinde non hoſtis occidi, quin eadem civis perderetur, poſſet. Interim nemini hæc corona data fuit niſi præcedente ſcrupuloſa totius rei cognitione, unde arctiores quoque additas fuiſſe leges apud *Plinium* (14) deprehendimus, quarum ſequentes hic apponere lubet: *Ut civem ſervet, hoſtem occidat, ut eum locum, in quo ſit actum, hoſtis obtineat eo die, ut ſervatus fatea-*

---

(11) In Lucullo T. I. pag. 496. D. (12) In Paneg. ad Stiliconem Lib III. v. 72. ſeq. Conf. Paradius in Symbolo: Servati gratia civis (13) Lib. VII. cap. 9. (14) Lib. XVI. cap. 4. Vid. Dalecamp. & Harduinus in Notis.

teatur, alias teſtes nil proſunt: Ut civis fuerit. Auxilia, [i. e. auxiliares copiæ] *quamvis rege ſervato, decus id non dant. Nec creſcit honos idem Imperatore conſervato; quoniam conditores in quocunque cive ſummum eſſe voluére.* Quás Romanorum aſperas Leges luculenter ſane exponit *Gellius* (15), verbis e *Maſſurii Sabini Memorialium Libris* deſumtis. Differebat igitur dicente *Feſto* (16), Civica a Corona Obſidionali eo, quod hæc diverſorum civium ſervatorum, altera ſingularis ſalutis ſignum eſſet.

Quemadmodum vero a Cive, ſervato ſcilicet & ſervatore *Civica*, ita a materia ex qua poſterioribus temporibus apud Romanos plexa fuit, *Quernea* ſeu *Quercea* dicebatur. Cauſſas autem cur querna daretur corona, *Plutarchus* (17) pluribus executus eſt. Samnitium quidem bello, Corona hæcce *Plinio* teſte (18) ex *ilice* facta, quæ & ipſa arbor glandifera eſt: unde *Cæcilius* Poëta Comicus civicam appellavit *ilignean* ſcribens (19):

Advehuntur cum iligneâ corona & chlamyde.
Di noſtram fidem.

Poſtea magis placuit ex *eſculo* Jovi ſacra. Variatumque & cum quercu eſt, ac data ubique quæ fuerat, cuſtodito tantum honore glandis, verba ſunt *Plinii Loc. cit.* Quamvis *Martialis* (*) civicam coronam ex *hedera* fuiſſe videri voluerit, cum ſcribit:

Non quercus te ſola decet, nec laurea Phœbi:
Fiat & ex hedera civica noſtra tibi.

Sidonius vero *Apollinaris* (**) ex *lauro*:

Ipſa ruina placet, cum victor ſcandere currum
Incipies, crinemque ſacrum tibi, more priorum,
Nectet muralis, vallaris, civica laurus.

P 3 Hu-

(15) Lib. V. cap. 6. Conf. hic notæ in edit. Thyſii. Vid. & Feſtus Lib. III. Alexander ab Alexandro Lib. IV. cap. 18. (16) Loc. cit. Lib. XIII. (17) In Quæſt. Rom. Tom. II pag. 285. ſeq. (18) Loc. cit. (19) Apud Gellium Loc. cit. Conf. Pierius in Hierogl. Lib. LI. cap. 1. Paſchalius Loc. cit. cap. 11. 12. (*) Lib. VIII. Ep. 82. (**) In Panegyrico Majorani paulo ante finem.

Hujus generis Coronas XIV. L. Sicium Dentatum meruiſſe, ſupra jam docuimus. Auguſto vero nobiliſſima hæc corona data fuit, quod compoſitis inteſtinis bellis P. R. ab interitu vindicaſſet, unde *Plinius* (20): *Dedit hanc Auguſtus Coronam* [Roſtratam] *Agrippæ, ſed Civicam a genere humano accepit.* Pari ratione & Julius Cæſar in expugnatione Mitylenarum a Thermo quem ſervaverat, hac coronatus fuit corona, ut *Suetonius* in ejus vita commemorat (21). Huc quoque L. Gellius Vir cenſorius in Senatu Ciceronem Conſulem donari a Republica cenſuit, quod ejus opera eſſet atrociſſima illa Catilinæ conjuratio detecta vindicataque (22).

Denique ut deſcriptioni hujus coronæ eo majus lumen accederet, e re utique viſum fuit ejus quoquoque *Iconem* & *Habitudinem* hic adjicere, prout ſcilicet ea in multis Imperatorum Romanorum Numismatibus apud *Golzium*, *Stradam*, *Patinum*, *Vaillantium*, aliosque Numismatum veterum commentatores paſſim conſpicitur. Civicæ ſeu Quernæ in hac claſſe ſubjungimus



II. CORONAM CASTRENSEM S. VALLAREM.

Hanc is merebat, qui primus hoſtium vallum [unde *Vallaris* dicta] refixerat, pugnansque caſtra [hinc *Caſtrenſis*] introîerat. Ejus inſigne fuit vallus ex *auro*, totaque corona *aurea* (23) licet primum frondea eſſet, ut *Paſchalius* obſervavit (24).

Sunt


(20) *Lib. XVI. cap. 4. Conf. Golzius in Numiſm. Auguſti Tab. LIX. & Nonnius in Comment. pag. 45.* (21) *Cap. II.* (22) *Apud Gellium Lib. V cap. 6.* (23) *Plinius Loc. cit. Gellius Loc. cit. Alexander ab Alexandro Lib. IV, cap. 18.* (24) *Lib. VII. cap. 3.*

Sunt tamen nonnulli (25), qui Vallarem & Caſtrenſem, diverſas fuiſſe coronas ſtatuunt, eoque inter ſe diſtinctas, quod vallaris fuerit *graminea*, [quia gramen Marti conſecratum] atque illis donata, qui primi vallum aſcendiſſent. Caſtrenſis vero *aurea*, qua Imperator eum donabat, qui primus caſtra hoſtium introiviſſet. Cui tamen ſententiæ alii Scriptores (26) exinde adverſantur, quod *Valerius Maximus* (27), ubi de Caſtris Lucanorum & Brutiorum expugnatis a C. Fabricio Conſule loquitur, ita ſcribat: *Poſtero die cum Conſul inter honorandos, quorum ſtrenua opera fuerat uſus, vallarem coronam ei ſe ſervare dixiſſet, a quo caſtra erant oppreſſa; nec inveniretur, qui id præmium peteret.* Quibus verbis perſpicuum fit, *vallarem* datam fuiſſe ei qui *caſtra oppreſſiſſet*, h. e. vallum conſcendiſſet & perrupiſſet, caſtra enim, portis obſtructis, non alia ratione capi poſſe conſtat, quam vallo dejecto & ſuperato. Conſentientes hac in parte quamplurimos habeo authores, quorum præcipuos brevitatis cauſſa hic (28) tantum nominaſſe ſufficiat.

Ceterum adſunt non pauca fortiſſimorum militum exempla, quibus luculentum iſtud virtutis bellicæ præmium contigiſſe legimus. Sic in bello Sarmatico, cum *Probus* jam tribunus, Danubio transmiſſo multa fortiter feciſſet, in concione donatus eſt coronis vallaribus duabus & corona civica una (29). Pari ratione & *Claudium* tribunum inter alia dona militaria a Cæſare Valeriano, tres quoque coronas vallares accepiſſe, teſtis eſt *Trebellius Pollio* (30). Extant quoque non paucæ vetuſtorum Lapidum inſcriptiones, idem ipſum confirmantes, in ampliſſimo earum opere, a *Grutero* magno ſtudio atque opere concinnato, qua-

(25) Oliverius in Notis ad Valer. Max. Lib. I. cap 8. §. 6. pag. m. 112. (26) Vid. Paſchalius Loc. cit. (27) Loc. cit. (28) Vid. Gellius Loc. cit. Alexander ab Alexandro Loc. cit. ubi Tiraquelli Notas doctiſſimas conſule. Lipſius de Romanorum Milit. Lib. V. Dial. 17. Lazius Comment. de Rep. Rom. Lib. IX. cap. 18. &c. (29) Vid. Vopiſcus in ejus vita cap. V. (30) In Vita Claudii citante Lazio Loc. cit.

quarum eas, quæ ad inſtitutum præſens faciunt, curioſus antiquitatum indagator haud gravabitur evolvere.



Denique nullum plane Vallaris Coronæ veſtigium in nummis reperiri, teſtis eſt *Antonius Auguſtinus* (31). Ejus igitur *Habitudinem* ea hic exprimi fecimus *Figura*, prout eam *Godeſchalcus Stewechius* (32), poſtque hunc *Ciampinus* (33) delineatam operi ſuo inſeruit.

Porro in dictam Coronarum Claſſem collocamus

III. CORONAM MVRALEM.

Quæ æque ut Caſtrenſis *aurea*, iisque ab Imperatore donata fuit, qui primi murum ſubierant, inque hoſtium oppidum per vim aſcenderant, idcirco quaſi muri pinnis aut turribus decorata (34), cujus circulo inſculpti fuêre leunculi, fortitudinis hieroglyphicum, ceu idipſum annotatum legimus apud *Spenerum* (35), virum dum viveret & eruditione & pietate clariſſimum. Hanc Coronam *Ovidius* appellat *turriferam*, dum quærit, cur magna Dêum mater Cybele geſtet coronam turriferam,

At cur turrifera caput eſt onerata corona?
An Phrygiis turres urbibus illa dedit?
Annuit.

Hujus generis fuit illa, quam P. Scipio, docente *Vellejo Paterculo* (37), in Hiſpania meruit. Talis quoque illa, & quidem magna


(31) *Dialogo XI. Antiq. pag. 22. Vid. Maderus in Notis ad Onuphrii Comment. de Triumpho pag. 47.* (32) *In Comment. ad Vegetium Lib. II. de Re Militari pag. 122.* (133) *Loc. ſupra cit.* (134) *Plinius Loc. cit. Gellius Loc. cit.* (35) *In Opere Heraldico Part. I. cap. VI. §. 31* (36) *Faſt. Lib. IV. El. 1. v. 219. ſeq.* (37) *Lib. I. cap. 12.*

magna ſpecie, qua apud *Silium Italicum* (38) Milo, a Q. Fulvio Proconſule donabatur,

- - - Milo Gradiri cape victor honorem
Tempora murali cunctis turrita corona.

Interea hujus æque ut Vallaris Coronæ veſtigium, nuſpiam in nummis reperiri, præterquam quod corona turrita inſignitum inveniatur caput *Alexandriæ* civitatis in numiſmate M. Lepidi (39), & *Magnæ*, ut diximus, *Matris Dêum Cybeles* in nummis Fauſtinæ Auguſtæ, autor eſt *Antonius Auguſtinus* (40). Quod ſi vero *Golzium* conſulas, eadem corona inſignitos invenies diverſos Græciæ antiquæ nummos, quales ſunt: Civitatis *Antigoniæ* (41), *Evæ* (42), *Magneſiæ* (43), *Theſſalonicæ* (44), *Cytori* (45), *Amathi* (46), *Tamaſi* (47), *Aradi* (48), *Heracleæ* (49) &c. Pari ratione & M. Agrippæ caput corona turrita [cui Navalis adjuncta eſt] apud eundem *Golzium* (50) conſpici licet.

Habitudinem vero & *Figuram* Coronæ Muralis, ea Lectori hoc loco damus forma, qua apud *Stevvechium*, *Ciampinum*, aliosque Scriptores recentiores expreſſa, murisque pinnis aut turribus diſtincta conſpicitur.



Q Mu-

(38) *Punicorum Bell. Lib. XIII. v. 131. ſeq.* (39) *Vid. Golzius in Numiſm. J. Cæſ. Tab. XXVI. Num. 1. & 2. Conf. Nonnius in Comment. ad h. Num. p. 35.* (40) *Loc. cit.* (41) *In Numiſm. Græciæ Univ. Tab. III. Num. 7.* (42) *Ibid. Tab. XI. Num. 7. 8.* (43) *Ibid. Tab. XXI. Num. 10.* (44) *Ibid. Tab. XXIII. Num. 10.* (45) *In Numiſm. Inſularum Græciæ Tab. II. Num. I.* (46) *Ibid. Tab. XXVI. Num. 5.* (47) *Ibid. Tab. XXVII. Num. 5. 6.* (48) *Ibid. Num. 10.* (49) *In Numiſm. Inſularum Aſiæ Tab. IV. Num 10. Conf omnino Nonnium Commentario in hæc Numiſmata, ſuo quoque loco.* (50) *In Numiſm. Auguſti Tab. XXXI. Num. 7.*

Murales in hac Claſſe excipiunt illæ, quas Romani dicebant

IV. CORONAS NAVALES ſive CLASSICAS.

Quemadmodum enim ii, qui pugna terreſtri memorabile aliquod facinus edebant, illas quas hactenus vidimus, merebant coronas, pari modo claſſica donabatur is, qui in prælio maritimo primus in hoſtium navem armatus vi tranſiliverat, ejusque opera navis capta eſſet, unde & *navalis* corona dicta fuit (51).

Hæc ut reliquæ ex *auro* fieri ſolebat, unde *Virgilio* (52) *fulgere* dicitur, inſigneque ejus *roſtra* navium fuêre, ex quo & *Roſtrata* appellata (53), cujus circulo plerumque ſcarabæos [quæ animalcula fortitudinis navalis hieroglyphico inſerviebant] inſcriptos fuiſſe, paulo ante laudatus *Spenerus* (*) memoriæ reliquit.


Cæterum *Cl. Lipſius* (54) inter Coronam *Navalem*, & *Roſtratam* aliqualem videtur ſtatuere differentiam, quando ſcribit: *Navalem ſimplicem roſtris navium non diſtinctam fuiſſe, aut certe aliqua nota diverſam, a Roſtrata; Hæc enim in ſummo pretio & non iis data, qui in navim aliquam tranſcendiſſent [ſæpe id factum], ſed qui navale aliquod magnum decus aut victoriam magna induſtria peperiſſent. Data Ducibus & ſimilis aliquatenus obſidionali.* Quibus *Antonius Thyſius* (55) ſequentia de ſuo addit: *Claſſicam, quæ Ducibus dabatur, majoris fuiſſe pretii, vix dubitari poteſt, & raro vel vix unquam illam conceſſam fuiſſe, Dio Casſius*

(51) *Plinius Lib. XXII. cap. 3. Gellius Lib. V. cap. 6. Alexander ab Alexandro Lib. IV. cap. 18. Turnebus Lib. XXVI. cap. 29.* (52) *Lib. Æn. VIII. v. 684.* (53) *Vid. Autores Num. 51 cit. & variorum in eos notæ.* (*) *Loc cit.* (54) *De Milit. Rom. Lib. V. Dial. 17.* (55) *In Notis ad Gellii Locum cit. pag. 317. num. 17.*

ſius (56) *oſtendit cum dicit Agrippam corona roſtrata aurea donavit Auguſtus, quos neque ante neque poſtea cuiquam contigit.*

Adſtipulatur Dioni *Paterculus* (57) ſcilicet, quod nemo unquam Romanorum ante Agrippam ea donatus fuerit. Ubi tamen amborum clarus apparet lapſus & improvida affirmatio, *Marcum* enim *Varronem*, jam ante Agrippam in bello piratico, donante Pompejo eam accepiſſe, *Plinius* (58) teſtis eſt. Pari ratione *Seneca* (59), Agrippam navali quidem corona inſignem vocat, ſed non addit, *primum*. Ita quoque *Livii Epitome CXXIX.* nemini ante Agrippam honorem hunc fuiſſe habitum conteſtatur quidem, non vero addit, *nec poſt eum*, quippe quod ex *Feſto* (66) luculenter conſtet, *Aulum* quoque *Attilium* hac donatum fuiſſe corona, in bello quod geſtum eſt contra Nabim, ut ſcriptum eſt in Carmine Saturnino (61).

Quantum vero ad ipſam *Formam* ſeu *Habitudinem* Coronæ Navalis attinet, diverſimode apud bonos authores depicta reperi-


tur. *Prior*, quem hic ſubjicimus typus, deſcriptus eſt ex Nummis Auguſti Cæſaris apud *Golzium* (62), in quibus Agrippæ caput

(56) *Lib. XLIX.* (57) Lib. *II. cap. 81.* (58) *Lib. VII. cap. 30. Lib. XVI. cap. 4.* (59) *Lib. III. de Benef. cap. 32.* (60) *Lib. III.* (61) *Conf. Lipſius* Loc. cit. *Nonnius in Comment. ad Aug. Cæſ. Numiſm. pag 53. Schefferus de Milit. Navali Lib. IV. cap. 3. Paradius in Symb. Claſſis monumenta ſubactæ.* (62) *In Numiſm. Auguſti Tab XXVIII. Num. 4. 6. 7. 9. Conf. Patini Numiſm. Imp. Rom. pag. 59. ſeq.*

put hac Coronæ Navalis figura condecoratum cernitur. *Poſteriorem*, ex eodem *Golzio* (63) depromtam inſerimus, in honorem Agrippæ datam, qua tamen potius *victorias* illius *terra mari*que *geſtas*, quam *honorem* iſtum ſignificari *Joannes Scheſſerus* (64) arbitratur. Illa vero, quæ in medio conſpicitur forma, Coronam Navalem depictam dedit *Stewechius*, & qui hunc ſecuti ſunt, *Ciampinus*, *Spenerus*, aliique.

Ultimo tandem loco inter Coronas Militares, quæ & ſtrenuis militibus & præſtantisſimis Ducibus promiſcue datæ fuerunt, collocamus

V. CORONAS VICTRICES.

Generali hac appellatione comprehendimus omnia illa coronarum genera, quæ ſive militibus, ſive ordinum ductoribus promiſcue data fuêre, nam quocunque modo victoria parta eſſet, corona illi, qui victor eſſe renunciabatur, decreta fuit. Talium coronarum apud rerum antiquarum Scriptores frequentiſſima eſt mentio (65). Hoc exemplo legimus *Titinium* unum ex Ducibus Caſſii, cum victor in certamine evaſiſſet coronatum ab equitibus, abiiſſe ad Caſſium (66). Pari ratione & *Pauſaniæ*, nunciata victoria & morte Philippi, corona victoriæ decreta fuit (67), nec non *Pelopidæ*, licet mortuo & confoſſo conjectu telorum (68), ut & *Mario* poſt inſignem de barbaris victoriam (69), *Dioni* item Syracuſis receptis (70). Denique & Caſtor *Pollucem*, Amyco proſtrato hac redimit corona, ut legere eſt apud *Valerium Flaccum* (71).

Non

---

(63) *Loc. cit. Tab. XXIX. Num. 17. Conf. Patinus Loc. cit. pag. 33.* (64) *Loc. cit.* (65) *Vid. Zamoſius in Analect. Daciæ Antiquit. cap VI & ex eo Gruterus pag. 429. Num. I. Paſchalius Lib. VII Cap. 5.* (66) *Plutarchus in Bruto Tom. I. pag. 1004. E.* (67) *Plutarchus in Demoſthene T. I. pag. 855 E.* (68) *Cornelius Nepos in Pelopida cap. V.* (69) *Plutarch in Mario T I. pag. 418. B.* (70) *Idem in Dione T. I. pag 972. A.* (71) *Lib. IV. Argonaut.*

Non vero ſinguli tantum haſce victoriæ & fortitudinis coronas adepti ſunt, verum etiam interdum *tota cohors*, *totæ urbes*, *populus*, *univerſi* denique *victores milites*, eadem fuêre conſpicui. Hoc more *populum Romanum*, ob res bello bene geſtas, coronatum ludos ſpectaſſe, diſertim tradit *Livius* (72). Pari ratione Populus Syracuſanus, devictis acie inquilinis, qui rebellaverant, *delectos viros* circiter *ſexcentos*, quorum vi & virtute ea pugna pugnata fuerat, corona donavit, ut teſtatur *Diodorus Siculus* (73). Sic & *totas urbes* aliarum victrices, coronatas fuisſe, multis comprobari poteſt exemplis. Hoc modo Græci Athenas, ingenti adverſus Perſas parta victoria, corona condecorarunt, affirmante id ipſum *Ariſtide* (74); Idem a Perinthiis & populo Byzantino factum eſſe, *Demoſthenes* expreſſis teſtatur verbis (75). Denique ipſos etiam *Milites* victoria deportata coronatos fuiſſe legimus. Quo exemplo Ageſilaus, magna de Thebanis parta victoria, milites coronari juſſit (76) in ipſo loco, ubi victores evaſiſſent. Idem teſtatur *Zonaras* cum ſcribit (77): *Militibus publice, quibusdam etiam ſeorſim laudatis Coronas aliis aureas, aliis argenteas datas fuiſſe, expreſſo in iis nomine & facinore viri.* Similiter & in pompa triumphali, non ſolum Imperatorem triumphantem, ſed & milites ejus, quorum bracchiis parta erat victoria, laurea corona inſignes fuiſſe, variis demonſtrari poteſt exemplis (78). Ubi tamen obſervandum bene eſt, quod laudatus ſæpe *Paſchalius* annotavit (79), ſcilicet haſce militum lauros non ex illis, quibus ipſe triumphator utebatur, decerptas fuiſſe, ſed e qualibet obvia lauro, quam ideo *Tibullus* (80) *agreſtem* vocat, i. e. ex agris promiſcue decerptam,

Ipſe gerens lauros lauro devinctus agreſti
Miles Io magna voce Triumphe canet.

 His

(72) *Lib. X. ſub finem.* (73) *Lib. XVI.* (74) *In Panath.* (75) *In Orat. de Corona.* (76) *Plutarch. in Ageſilao T. I. pag. 606. A & in Mario Loc. cit.* (77) *Tom. II. Annal. pag. 31. Edit. Baſil, 1557. fol* (78 *Vid. Paſchalius Lib. VIII. cap. 4.* (79) *Loc. cit.* (80) *Lib. II. El. 5. circa fin.*

His ultimo loco annumerandum quoque eſt illud Coronarum genus, quod a Caligula inventum eſſe legimus, Coronæ ſcilicet *Exploratoriæ*, quæ Solis, Lunæ, ſiderumque ſpecie distinguebantur, ut *Suetonius* annotatum reliquit (81). Nec non illa, quam *Zonaras* (82) *Equeſtrem* vocat, quæ illi ſcilicet dabatur, qui equeſtri pugna merens edidiſſet aliquod memorabile facinus, quo Rempublicam juviſſe diceretur, tunc enim equeſtre aliquid effingebatur.

Hæc de iis coronarum generibus dicta ſunto, quæ promiſcue militibus eorumque Ducibus dabantur, nunc eas ordior, quæ ipſis Ducibus peculiares fuêre. In quarum Claſſe primo loco occurrit

I. CORONA OBSIDIONALIS.

Huic primum ſtatim asſignamus locum, eo quod teſte *Plinio* (83), *in majeſtate populi terrarum principis, præmiisque gloriæ, nulla fuit hac nobilior. Gemmatæ & aureæ, vallares, murales, roſtratæ, civicæ, triumphales, poſt hanc fuêre, ſuntque cunctæ magno intervallo, magnaque differentia. Quodſi civicæ honos uno aliquo ac vel humillimo cive ſervato, præclarus ſacerque habetur, quid tandem exiſtimari debet, unius virtute ſervatus univerſus exercitus. Nec unquam niſi in deſperatione ſuprema contigit, nulli niſi ab univerſo exercitu ſervato decreta. Cæteras Imperatores dedêre, hanc ſolum miles Imperatori.*

Eadem hæc triplicem adepta eſt denominationem, nam & *Obſidionalis* & *Obſidialis* eodem ſignificatu dicta fuit, ſcilicet quod talem coronam ii, qui liberati ſunt obſidione, darent ei Duci, qui liberaverat (84); *Graminea* vero a materia ſic dicta, fiebat

(81) In Caligula cap. 45. conf. Alexander ab Alexandro Lib. IV. cap. 18. pag. 1128. (82) Loc. cit. (83) Lib. XXII. cap. 3. ſeq vid Notas Dalecampii & Harduini. (84) Plinius Loc. cit. Gellius Lib V. cap. 6. ubi Notas Thyſii conſule. Feſtus Lib XIII. Alexander ab Alex. Loc. cit. vide Notas Tiraquelli & aliorum in h. l.

fiebat enim e gramine, quod in eo loco generatum eſſet, intra quem clauſi erant, qui obſidebantur, nullæ enim in hoc honore erant herbæ aut flores. Namque ſummum apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrigere victori (85).

Hanc Coronam gramineam, Senatus Populusque Romanus *Q. Fabio Maximo* dedit bello Pœnorum ſecundo, quod cunctando urbem & cives Romanos obſidione hoſtium liberaſſet (86). Omnium vero primus Obſidionali donatus fertur *Q. Cincinnatus* a Manutio & toto exercitu, quod illius opera obſidione liberati fuerant (87). Inter Imperatores autem primo omnium *Auguſto* a S. P. Q. R. oblatam fuiſſe, ut hæc præ foribus ob hoſtes victos poneretur, auctor eſt *Dio Caſſius* (88). Plura interim eorum exempla, quibus hic honos contigit, legat cui placet, apud *Plinium*, *Gellium*, *Alexandrum ab Alexandro* (89) alios.

Cæterum cum nullæ in hoc honore eſſent herbæ certæ: ſed quæcunque fuerant in periculi ſede, quamvis ignobiles ignotæque, honorem nobilem faciebant (90), hinc de *Forma* ſeu *Habitudine* hujus Coronæ parum habeo certi, quod dicam. Ut enim herbæ quæ huic Coronæ inſerviebant, non unius erant generis, ita conſequenter & ipſis Coronis varias exinde





(85 *Vid. Plinium. Loc cit. cap. 4 & reliquos.* (86) *Plinius, Gellius LL.cc.* (87) *Plinius de Viris Illuſtribus cap XVI. conf Alexander ab Alexandro Loc. cit* (88) *In Octavio Auguſto Lib. XLVI.* (89) *Locis hactenus citatis.* (90) *Plinius Loc. cit.*

dedenatas fuiſſe figuras, cuilibet facile eſt colligere. Nobis binas has Coronæ gramineæ Icones, ea huc inſerere figura placuit, prout illa apud *Lazium*, hæc vero apud *Stewechium* delineata conſpicitur.


Obſidionalem in hac Claſſe ſequitur

II. CORONA OVALIS.

Sic dicta, non quod ovalis formæ fuerit, quam nonnulli huic coronæ affingunt (91), ſed ab *Ovatione* in quo triumphi genere Imperatores ea utebantur, qui ovantes urbem introibant. Erat eutem *Ovatio* (92) apud Romanos minor Triumphus, qui peragebatur, quum belli Duces rebus quidem proſpere geſtis, non tamen ita magnis, ut majori Triumpho dignæ eſſent, Urbem Romam ovantes ingredebantur. Qualia erant, ſi bella non rite indicta, nec cum juſto hoſte geſta eſſent; aut hoſtium nomen humile & non idoneum, ut ſervorum rebellium, piratarumque, aut, deditione repente facta, aut, ſi victoria ſine pulvere ſanguinisque cruore obveniſſet &c. (93). In tali enim Triumpho victor nec curru vectus, nec toga picta indutus, nec tubis concinnentibus, ſed pedibus & calceis, exercituve præeunte in arcem procedebat.

Nec

(91) *Vid. Müllerus Diſſ. de Coronis Sect. III. §. 1.* (92) *Plutarchus in Marcello Tom. I. pag. 310. ſeq. ab ove nomen arcesſit, quod in Ovatione ovem is ſacrificaret, qui ovans urbem ingredebatur, quemadmodum qui majorem triumphum agebat, taurum. Plutarchum Servius ſequitur in* Lib. *IV. Aen. v.* 543. *& recte quidem. Feſtus vero Lib. XIII. a militari gratulantium clamore originem accepiſſe arbitratur, cui Dionyſius Halic. Lib. V. adſtipulatur. Alias hujus vocis derivationes eollegerunt Etymologi, Vosſius, Martinius, Fungerus alii.* (93) *Vid. Gellius Lib. V. cap. 6. & in eum Thyſius. Alexander ab Alexandro Lib. VI. cap. 17. Conf Colerus, Tiraquellus in Notis, Panvinius de Triumpho & Maderus in Notis.*



Nec laurea coronatus, verum ex *myrto* factam Coronam in capite geſtans (94); Cujus *Habitudinem* & *Formam* Lector curioſus, ex hoc typo, quem laudatus *Ciampinus* Tractatui ſupra laudato inſeruit, liquido cognoſcere poteſt.

Rationem vero, ob quam myrtus Veneri ſemper ſacra habita, huic adhibita fuerit honori, *A. Gellius* hanc fuiſſe docet (95), quod talis de hoſte triumphus non Martius, ſed quaſi Venerus quidam eſſet. Erat itaque Ovationis inſigne, frons quidem veneris, ſed non illius procacis & libidinoſæ, verum bellacis, victricis, triumphatricis, nec Veneris tantum, ſed & Martis & Herculis fortiſſimorum numinum, Alceſtis feminæ conſtantiſſimæ, clariſſimorum tyrannicidarum, Achillis, Apollinis &c. verba ſunt *Cl. Paſchalii* (96).

Primus vero omnium qui Myrto coronatus Urbem ovans ingreſſus eſt, *Poſthumius Tubertus* de Sabinis triumphans fuit (97). Lapſis tamen poſtea temporibus, ut in aliis hujus Triumphi partibus (98), ita & materia Coronæ Ovalis variatum eſt. Siquidem *Marcus Craſſus* de fugitivis Duce Spartaco ovans, ex conſulto Senatus *lauro* non myrto coronatus fuit (99). Pari ratione & *Tiberius Cæſar* quum de Vindelicis mœſta civitate propter repentinum incommodum triumphare nollet, *lauro* ornatus, ovans urbem ingreſſus eſt (100).

R Hæc

(94) *Vid. Gellius Loc. cit. Plinius Lib. XV. cap. 29. in fin. Conf. Dalecamp. & Harduinus in Notis.* Plutarchus *in Marcello Loc. cit. & Craſſo p. 550. Feſtus Lib. XIII. Alexander ab Alexandro* Loc. cit. (95) *Loc. cit. conf. & Plinius Loc. cit. vid Notæ Dalecamp. & Hard.* (96) *Lib. VII. cap. 21. ſub fin.* (97) Plinius *Loc. cit. cui & Alex. ab Alexandro ſubſcribit, Dionyſius autem Halicarn. Lib. V. non myrto ſed laurea coronatum tradit. vid. Pintianus ad Plinii Loc. cit.* (98) *Vid. Alex. ab Alex. Loc. cit. & Coleri, Tiraquelli notæ. Panvinius Loc. cit.* (99) *Plin. Loc. cit. Gellius Loc. cit. Alex. ab Alex. Loc. cit.* (100) *Alex. ab Alexandro Loc. cit. Suetonius in Vita illius cap. 9.*

Hæc de Corona Ovali. Sequitur nunc in Claſſe Coronarum, quæ Ducibus ſingulares fuêre

III. CORONA TRIVMPHALIS.

Hac appellatione illud coronamenti genus comprehendimus, quod in majori triumpho frequenti apud Romanos erat uſu. Fiebat autem Triumphus major, cum integræ Provinciæ & Regna, multo ſanguinis cruore, [quinque enim millia hoſtium una acie cecidiſſent oportebat] a populo Romano ſubacta atque ſubjugata eſſent (101).

Quod ſi vero Romanæ Antiquitatis Annales paulo penitius hanc in rem luſtremus, Coronas Triumphales duorum in univerſum fuiſſe generum, deprehendimus. Prioris generis illa fuit, *quam exercitus Imperatori dabat*, argumentum ſcilicet judicii de ſuo Duce ſui (102). Hujus duæ fuêre ſpecies, una ***Laurea***, altera ***Aurea***. Illa plexa & contexta erat e duobus ramulis lauri, cum foliis majoribus, rubentibusque baccis dependentibus, poſteriori parte candida faſcia in auram diffluente, ea ſcilicet forma atque figura, qua in multis Imperatorum Numiſmatibus hoc, ut vides typo, deſcripta cernitur (103). Hunc Imperator triumphans in capite geſtabat. Qui mos in veteri Romanorum Republica natus,



(101) *Vid Valerius Maximus Lib II. cap 8. Vegetius Lib. II. de Re Militari, ubi Stevvechii Notas pag. 128 vid, Zonaras in Camillo Tom II pag. 32. ſeq Blondus Romæ Triumph. Lib. X. pag 149. ſeq Pomponius Lætus Hiſt. Rom. Lib. II. Alexander ab Alexandro Loc. cit. Polyd. Vergil. de Rerum Invent. Lib. III cap. 16. Sigonius de Antiquo Jure Civium Rom. cap de Jure Triumphandi. Onuphrius Panvinius Loc. cit.* (102) *Paſchalius Lib. VIII. cap. 1.* (103 *Vid. Golzius, Patinus, Vaillantius alii.*

tus, usque ad ſeros Principes eſt propagatus; Ex quo ritu in hunc usque diem conſuetudo manavit, ut Imperatorum Regumque capita laurea circumdata effigientur.

Hanc Coronam *Feſtus* (104) initio *ob paupertatem* lauream tantum fuiſſe tradit, cui vero poſt creſcentibus facultatibus ſucceſſerint aureæ: *Paſchalius* (105) vero ridicule hoc a *Feſto* dici affirmat, quod compertum ſit, Republica etiam florentiſſima laureas a triumphantibus geſtatas uſurpatasque eſſe, quamvis non inficietur, in priſca Republica, quod tenuis erat, neceſſe fuiſſe honorum monumenta e rebus quoque tenuibus, paratuque facilibus conſtare.

Altera vero, quam *Auream* fuiſſe diximus, per excellentiam *Corona Triumphalis* dicta fuit, quandoque & *Inſignis Laurea*, eratque Circulus ſeu Sphæra aurea, in ſpeciem lauri effigiata, expreſſo in ea eleganter & nomine ejus & rebus qui triumphabat, bene geſtis, in cujus anteriori parte gemmæ pretioſiſſimæ corruſcabant, in poſteriori vero faſcia candida in auram diffluebat (106). Hanc ſervus publicus eodem quo Triumphator curru vectus, a tergo geſtabat ſuper caput Imperatoris, ſive quod cum ſolida eſſet, ob pondus & gravitatem imponi capiti non poſſet (107), ſive ut humanæ fragilitatis Triumphator memor foret, quum juxta aſſidere ſervum in eodem curru videret, ne ſcilicet per inſolentiam nimis ſibi placeret & triumpho ſuperbiret.

Teſtatur de pondere & gravitate hujus Coronæ *Juvenalis* (108) quando eam ſequentibus verbis deſcribit:

 Quodſi

(104) *Lib XVIII.* (105 *Loc. cit.* (106) *Paſchalius Loc. cit Panvinius Loc. cit. pag. 12 Aringhius in Roma Subter. Tom II. Lib. VI cap. 49.* §. *9* (107) *Zonaras in Camillo Tom. II. pag 32. Conf. Alexander ab Alexandro Lib. VI cap. 6. Plinius Lib XXVIII. cap 1. Conf Tertullianus de Corona Militis cap. XII. Ovidius Lib. II de Ponto El. 2. v. 79. ſeq 91 ſeq. Vid Notas in Edit Schrevelii.* (108) *Satyra X. verſ. 36. ſeq Conf. Britannicus in Notis.*

Quod ſi vidiſſet Prætorem curribus altis
Exſtantem - - - -
- - - magnaque Coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non ſufficit ulla?
Quippe tenet ſudans hanc publicus & ſibi conſul
Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.

Exemplo hujus rei eſſe quoque poteſt *Camillus* triumphans, cujus ea, quam in triumphali curru ſublimis capite geſtabat corona, e duobus lauri ramulis contexta fuit, aſt ſuper capite ejus aliam ſervus publicus tenebat, gemmis inſignem (109), atque [docente *Paſchalio* (110)] tantæ magnitudinis, ut ferendæ huic nullum mortale caput eſſet idoneum.

De ſervo autem publico, juxta Triumphatorem adſtante, illud quoque meretur annotari, ſcilicet, eum non ſolum auream illam Coronam ſuper caput Triumphantis tenuiſſe, verum etiam *retro vide!* ſæpius ei inſuſuraſſe, idque eo ſcilicet fini, ut reliquum vitæ curſum provideret, nec honore elatus ſuperbiret, ſed hominem ſe eſſe cogitaret, licet in illo ſublimiſſimo curru conſtitutus triumpharet (111). Quamvis in iis quæ nunc extant nummis, marmoreisque Triumphantium figuris *Fortuna alata*, non *ſervus* coronam ſuſtinens conſpiciatur, ut præter currum Triumphalem apud *Panvinium* (112) eleganter depictum, *Blondus* (113) id ipſum quoque teſtatur.

Ceterum de his, quas nunc luſtramus, Coronis, illud etiam obſervandum, *auream* illam ſive inſignem Coronam Triumphatorem non detuliſſe in domum ſuam, ſed gremio Jovis Ca-

(109) *Zonaras Loc. cit.* (110) *Loc. cit. Et ex eo Joh. Nicolai de Triumpho Rom. ſolenni Cap.* XIX. §. 4. (111) *Vid. Zonaras Loc. cit. Tertullianus in Apologet. cap.* XXXIII. *Alexander ab Alexandro Loc. cit. Vid. Tiraquellus in Notis. Pancirollus Part. I. Memorabil. Tit. 55. & ibidem Henr. Salmuth. Panvinius Loc. cit vid. Maderus in Notis.* (112) *Loc. cit.* (113) *Loc. cit. vid. Maderus in Notis cit.*

Capitolini dedicaſſe (114), quotusquisque enim re feliciter geſta Romam coronatus intraverat, is ſuam Coronam apud ædem ejus Numinis, cujus ope rem, ut opinabantur, confecerat, conſecrabat (115). Altera vero ex *lauru* plexa, veluti ſplendidiſſimum domeſticæ virtutis inſigne, ſumma cura domi aſſervabatur, cumque ea in publicum prodire receptiſſimum fuit, Ita in ſpectaculis, aut quoties res magna perageretur, aut inſignis alicujus diei magna ſpecies recurrebat, tunc vir triumphalis in publicum egrediebatur Corona ſua non tantum conſpicuus, ſed & venerabilis (116). Perpetuo vero geſtandæ laureæ jus, primus lubens libensque uſurpavit *Julius Cæſar*, ob calvitii deformitatem, quam iniquiſſime eum tuliſſe teſtis eſt *Suetonius* (117).

Secundi generis erant, *quæ Triumphatori præferebantur in ipſa Triumphi pompa*, plerumque *aureæ*. Iſtæ a provinciis, a ſociis & amicis gentibus, gratulationis ergo mittebantur Ductoribus exercitus Romani, cum e militia Romam redibant victores (118), & quidem grandiores & ponderoſiores, numerove quandoque frequenti. Hoc modo Cn. Manlium, CCXII. Coronas aureas in Triumpho tuliſſe, apud *Livium* (119) deprehendimus, in Quinti vero Fulvii triumpho idem CXXIV. numerat (120). Pari ratione *Appianus* auctor eſt (121), Julium Cæſarem in ſuis triumphis tuliſſe, duas & viginti ac octingentas ſupra duo millia Coronas, ex quo *Alexander ab Alexandro* (122) idem memoriæ retulit. Plura exempla vide ſis apud *Livium* (123), plenio-

(114) *Plinius Lib. XVI. cap. 4. Vid. Alexander ab Alexanbro Loc. cit. Paſchalius* Loc. cit. *cap. III.* (115) *Paſchalius Loc. cit. pag. 528. ſeqq.* (116) *Idem pag. 530. ſeq* (117) *In illius vita cap. 45. Conſ. Lipſius de Amphitheat. cap. 29.* (118) *Gellius Lib. VI. cap. 6. Alexander ab Alexandro Loc cit. Paſchalius Lo . cit.* (119) *Lib.* XXXIX. *cap. 7.* (120) *Lib. XL. cap. 43* (121) *Lib. II. Bell. Civil.* (122) *Loc. cit.* (123 *Ut Calpurnii Piſonis Lib.* XXXIX. *cap. 42. L. Manlii ibid. cap. 29. Æmilii Pauli* Lib. *XL. cap. 34. & aliorum.*

niorem vero in univerſum de Coronis militaribus apud Romanos cognitionem qui avet, eos adeat autores, qui de Re Militari Romanorum ſibi ſcribendum ſumsêre, diverſis tamen nonnunquam Libris & Capitibus, tales ſunt: *Plinius* (124), *Gellius* (125), *Valerius Maximus* (126), *Blondus* (127), *Alexander ab Alexandro* (128), Jo. *Tortellius* (129), *Jacobus Laurus* (130), *Carolus Sigonius* (131), *Lazius* (132), *Lipſius* (133), *Ant. Thyſius* (134), *Jul. Caſ. Bullengerus* (135), *Onuphrius Panvinius* (136), Jo *Ant. Valtrinus* (137), *Carolus Paſchalius* (138), Jo. *Meurſius* (139), *Maderus* (140), aliique plures numero.

Ultimo tandem loco illud etiam obſervamus, ſcilicet, etiamſi ex hactenus dictis, hoc Coronarum decus ipſis Romanis quaſi proprium videri poſſit, nihilominus tamen in Græcia quoque in uſu fuiſſe multis demonſtrari poteſt exemplis. Sic aureas illas, quibus *Alcibiades* poſt reditum in Urbem Athenarum, ingenti omnium conſenſu donatus eſt, quod eam terra marique hoſtium victricem reddiderit (141), *Triumphales* nominari poſſe, quis inficiabitur? Has lauri formam atque ſpeciem habuiſſe Cl. *Paſchalius* (142) conjicit. Tales quoque illæ, quas milites Græci, Imperatoribus ſuis re feliciter geſta, devictisque hoſtibus dediſſe, *Xenophon* (143) commemorat. Talis illa, qua *Antiochus* poſt devictos Galatas a Macedonibus eſt coronatus (144).

Pari

---

(124) Locis ſupra cit. (125) Loc. cit. (126) Loc. cit. (127) Loc. cit. (128) Loc. cit. (129) In Comment Grammat. ſub voce στέμμα. *(130) In Splendore Antiquæ Urbis Romæ pag. 15. (131) Loc. cit. (132) Comment de Repub. Rom. Lib. IX. cap. 18. (133 Loc. cit. (134) In Roma illuſtrata pag. 154. ſeqq. (135) Commene. de Triumpho cap. 30. (136) Loc. cit (137) De Re Militari Vet. Rom. Lib. VI cap. 4 (138) Libro VII. & VIII. (139) De Coronis Cap. XV (140 Loc cit (141) Vid. Plutarchus in ejus Vita Tom I pag. 209. ſeq Cornel. Nepos in ejusdem vita cap. VI. (142) Lib VIII. cap. 1. pag. 526 (143) Hiſt Gr Lib IV & in Laudat. Ageſilai citante Paſchalio. (144) Lucianus in Zeuxi ſ. Antiocho.*

Pari ratione & reliqua militarium Coronarum genera, ipſis Græcis uſitata fuiſſe, vel ex uno *Demoſthene* conſtare poteſt. Cum enim Athenienſes magnis aliquando rebus urgerentur, ſummave neceſſitas poſtularet, ut quantocyus triremes militibus complerentur, his verbis factum eſt decretum: *Qui primus adornaverit triremem, huic populus quæſtorem juſſit dare Coronam.* At hoc ego feci, inquit, Apollodorus ore Demoſthenis, idcirco me coronari [corona ſcil. Navali] oportere ajo (145). Idem colligi poteſt ex *Xenophonte* (146), ubi milites claſſiarii victores navali corona videntur fuiſſe coronati. Ipſum vero *Chabriam*, ob navalem ad Naxum pugnam coronatum fuiſſe, expresſis *Æſchines* teſtatur verbis (147). Pari modo in Græcia Coronam fuiſſe adeptum legimus, qui in hoſtium inſula promptius navibus circumdata, aggerem occupaſſet ac proinde ſuis inſulam aperuiſſet, eamque primus perrupiſſet (148). Denique cum illi, qui civem in pugna ſervasſet, Civica Corona daretur, quis *Sócratem* Philoſophum optimo jure ea dignum fuiſſe nos dicat, quando devictis in prælio Athenienſibus, delapſum in fuga ab equo Xenophontem in humeros ſuos receptum, per multa ſtadia portavit atque e periculo vitæ eripuit? Quod ſingulare in Philoſopho militaris virtutis exemplum, *Strabo* (149) pluribus annotatum reliquit.

SECTIO

(145) *In Oratione de Corona Præfect. Nav. Conf. Orat. adverſus Timocratem.* (146) *Hiſtor. Græc. Lib. VII. Paſchalius Lib VII. cap. 4.* (147) *Oratione contra Cteſiphontem.* (148) *Pollux Lib. I. cap. 9. citante Paſchal. Loc. cit.* (149) *Geograph. Lib. IX. cap. 5.*

SECTIO II.

DE
CORONIS REGIIS
& quidem
CAPUT I.
DE
PRIMA EARUM ORIGINE.

Ratio Ordinis, Connexionis, & Appellationis. De prima harum Coronarum Origine variæ Doctorum ſententiæ. Primus vero earum uſus a primo cujusvis Regni ortu arceſſendus. Regia inſignia pro diverſitate Regnorum & populorum varia. Eorum autem præcipua pars, cultus & veſtitus Regius. Cum vero Princeps quaſi caput populi ſit, caputque humanæ compagis, præ aliis corporis membris maxime ſit nobilisſimum atque conſpicuum, hinc ſucceſſu temporis illa regii cultus pars quæ Caput evincit, principem inter Inſignia Regia invenit locum. Regia Diademata non unius ſunt, atque fuerunt olim generis, ſed pro more & conſuetudine cujusvis populi diverſa.

HActenus ſingulas illas Coronarum ſpecies, quæ priſcis temporibus, ut *Paci* ita & *Militiæ*, variis occaſionibus inſervierunt pertexuimus, brevi quidem filo, aſt juſto, ut res ipſa loquitur ordine. Abſoluta igitur hac tractatione, ad eas nunc deſcribendas ſuſcepto cogimur ordine, quas ultimo Definitionis membro, *ſummi inter mortales faſtigii characteres atque inſignia* diximus. Quo nomine & appellatione nihil hoc loco ſignamus aliud, quam clariſſima illa atque pretioſa Regalis atque Imperatoriæ dignitatis inſignia, quæ ſummorum in mundo hominum capita evinciunt atque condecorant, quæve per excel-

len-

lentiam & proprio quaſi vocabulo CORONAE dicuntur, licet priſcis temporibus non tam *Coronæ* quam *Diademata* fuerint appellata: ſucceſſu vero temporis promiſcuus harum vocum factus eſt ſignificatus, ut prolixius id ipſum dedit probatum, ſæpius nec tamen ſatis laudatus *Paſchalius* (1).

Ante vero quam ſpecialem earum nunc ſuſcipimus conſidarationem, e re apprime futurum putavimus, pauca quædam circa *Antiquitatem* primamve earum *Originem* præmittere. Illi itaque qui priſcorum Poëtarum fabulas ſequuntur, *Jovem* Regibus Diadema, & Sceptrum largiri tradunt (2), quo involucro ſignificari dicitur, Imperium & Regalem dignitatem non niſi a Deo hominibus dari atque conferri. *Plinius* diligentiſſimus ille Hiſtoriæ Naturalis Scriptor, *Liberum Patrem* ut Triumphum, ita & Diadema Regum inſigne inveniſſe, memoriæ reliquit (3). *Alii* vero (4) primam regiæ dignitatis inſignium originem, ex temporibus *Nimrodi Gigantis*, Babelis Regis (5) deducere allaborant, is enim cum primus omnium regnaret, inque cœlo Coronæ formam e nube vidiſſet, accerſito metallorum fuſore coronam ſibi conflaſſe dicitur, quam capiti imponeret, unde factum, ut dicerent homines, coronam ipſi e cœlo fuiſſe delapſam. Verum enim vero ut priores illæ abſurdæ ſunt, ita & hanc *Eutychii* ſententiam nullo prorſus niti fundamento, ex inſpectione Annalium ſuorum clariſſime nobis conſtare poteſt.

Nos contra, in ea quam ſupra (6) de origine Coronarum in univerſum adduximus ſententia, firmiter perſiſtimus, denuoque affirmamus, primas illas convivantium faſcias ſeu coronas, ut aliis, quæ hactenus luſtravimus, Coronarum gene-

S ri

---

(1) *Lib. IX. cap. 7.* (2) *Vid. Camerarius Horis Succ. Cent. I. cap. 76.* (3) Lib. *VII. cap. 56.* (4) *Eutychius in Annal. Alex. Part. I. pag. 63. vid. Jo. Chriſtoph. Becmanni Notitia Dignit. illuſtr. Diſſ. IV. cap. 3. §. 2.* (5) *Geneſ. cap. X. 8. 9. 10. 11.* (6) *Pag. 7. ſeq.*

ribus, pari ratione & Regiorum capitum Inſigniis atque Diadematibus primam dediſſe originem. Quis vero Hiſtoriarum expers crederet, rem illam tam exilis & pretii & principii, a primo inventorum uſu eo transferri potuiſſe, ut ſucceſſu temporum, e mapalibus & caſis plebejorum hominum, invaſerit frequentiam urbium, inque non ſolum templis & theatris, ſed & ipſis Regum Principumve domiciliis, eminentiſſimum adepta fuerit locum? Sed ita, ecce, cum maximis etiam in mundo rebus comparatum ſemper fuit, eritque ſemper, ut non niſi a tenuiſſimis initiis, ad altiſſima exſurgant faſtigia. Olim quippe non Regum, ſed bacchantium, triumphantium, ſacrificantium, victorum quorumcunque inſigne Corona fuit, nec niſi ſero admodum gemmatis in orbem floſculis interſtinctum artificium, uſu receptum & Regibus reſervatum eſt, verba ſunt doctisſimi Galli *Davidis Blondelli* (7). Quibus autem progresſibus & gradibus, primæ illæ veterum faſciæ convivales, a tam vili initio in ſublimioris dignitatis faſtigia evectæ fuerint, ſupra jam prolixius fuit expoſitum (8).

Quantum vero ad *Antiquitatem*, & primam Coronarum ſeu Diadematum Regiorum *uſurpationem* attinet, eam a primo cujusque Regni & Imperii ortu arceſſendam eſſe, firmiter perſuaſi ſumus. Quamprimum enim Regna inter mortales oriebantur, ſtatim & *ornatus exterior* eorum, qui ad ſummæ illius dignitatis faſtigium evecti fuêre, inventus eſt. Cum enim natura omnes ſint atque videantur pares, ejusdemque materiæ terreſtres homines, inſuper anima etiam per externas ſenſuum delationes cognoſcat atque judicet, ideo neceſſarium erat adeſſe & conſtitui quædam externa ſigna ſive inſignia, per quæ princeps electus vel conſtitutus cognoſceretur, illave in alios dominandi poteſtas atque majeſtas venerabilior fieret.

Ea vero Regia inſigna pro diverſitate regnorum & nationum

---

(7) *Plen. Aſſert. Geneal. Franc. Tom. II. pag. 356.* (8) *Pag. 12. ſeq.*

num varia atque diverſa fuiſſe, re ipſa deprehendimus, in quibus doctiſſime ediſſerendis prolixus eſt *Petrus Gregorius Toloſſanus* (9). Sufficit enim talia eſſe, cujuscunque ſunt ſpeciei, quæ idonea ſint & cognita inter populum, cui apparent, ad oſtendendum eum, cui ea inſunt Principem eſſe.

Ejusmodi autem inſignium non minima pars fuit *cultus* atque *veſtitus*. Cum vero Princeps velut caput populi ſit, capitisque ob ſingularem qua præ aliis corporis membris gaudet dignitatem, præcipua apud omnes gentes habita ſemper fuerit ratio, factum inde eſt, ut ſucceſſu temporis illa regii veſtitus atque cultus pars, quæ caput Regis evincit atque condecorat, principem inter regii honoris characteres locum invenerit, hodieque obtineat, eo quod nullo humanæ compagis membro efferri convenientius poſſet, quam capite, quod & membrum nobiliſſimum eſt & eminentisſimum, adeoque & maxime conſpicuum, ceu pluribus [ſi Deus vitam & vires conceſſerit] demonſtratum dabimus, in peculiari *Diſſertatione de Capitis, præ aliis corporis humani membris, dignitate atque præſtantia.*

Atque hæc, quæ diximus, propria Regiorum Capitum geſtamina & inſignia, primis temporibus pro diverſitate nationum varias, ut infra dicetur, adepta ſunt appellationes, ſucceſſu vero temporis, proprio quaſi vocabulo & per excellentiam CORONAE dicta.

Quemadmodum vero in genere Inſignia Regia non unius, ut dictum, fuêre generis, pari ratione & ipſa Capitum Regiorum Diademata, pro cujusque gentis more & conſuetudine, varia atque diverſa fuiſſe, res ipſa loquitur. Primis enim temporibus priſci illi Reges utebantur *Faſciis*, ex ſerico, lino, vel alia materia ſimili & plicatili, quibus tanquam Regio inſigni, capita ſibi evinciebant. Alii adhibebant *Mitras*, alii *Tiaras*, alii *Cauſias*, &c. quibus ſingulis diverſa forma atque mate-

(9) *De Republica Lib. VI. cap. 16. & 20.*

ria adſcribitur. Deinde inventi ſunt *aurei Circuli*, quos creſcente luxu varias adeptos eſſe acceſſiones conſtat, quando ſcilicet eorum laminæ pedetentim radii ſeu apices acuminati, nec non margaritarum aliarumque gemmarum, decora ſuperſtruerentur. Rurſus alii alia ſuperinduxêre ornamenta, folia ſcilicet quercus, alii lilia, alii cruces &c. Tandem ſucceſſu temporum novæ Coronarum Formæ inventæ ſunt, quas noſtro præſertim ævo, *Coronas clauſas* dicere conſuevimus, in quibus aurei ramuli e lamina ſeu circulo ſurgunt, inque apice Coronæ in ſe circinnati coeunt. De quibus ſingulis in ſequentibus, dicendi mihi relictus eſt locus. Sit igitur

CAPVT II.

DE
DIVERSIS CORONARVM REGIARVM GENERIBVS.

Acturi nunc de diverſis Regiorum Capitum Inſigniis, initio ſtatim monemus, diſtinguendi ea rationem, non unam eandemque omnibus eſſe, Alii enim *Materiam* reſpiciunt, alii *Formam & Habitudinem*, rurſus alii ſecundum diverſitatem *Perſonarum*, quibus ſunt propria atque peculiaria, eorum inſtituunt diſtinctionem. Nos vero commodisſime ea diſpeſci putamus, ſi *geſtationis* atque *uſus* habeatur ratio. Hoc quippe reſpectu deprehendimus, inſignia illa in univerſum, duplici ratione ſub conſiderationem noſtram vocari poſſe, quatenus ſcilicet ex more & conſuetudine quorundam Regnorum, *quotidiana Regibus fuêre capitum geſtamina*, apud alios vero *ſolenni tantum pompa, dieque illuſtri adhibentur, Regibusque imponuntur.* Prioris generis Claſſem abſolvunt *Priſcorum Regum Diademata*, quibus ſingulis diverſa Materia, Forma, Nominisque ratio, quo etiam referimus *modernorum Aſiæ, Africæ & Ame-*

Americæ Regum Capitis Inſignia; Poſteriorum vero nomine indigitamus *Modernorum Europæ Regum Coronas*, *aliarumque ſummarum Poteſtatum capitis Ornamenta.*

Atque ſecundum hanc partitionem, ſpecialem nunc ſingulorum inſtituemus conſiderationem: Sequitur itaque

ARTICVLVS I.

DE

PRISCORVM REGVM CAPITIS INSIGNIBVS.

Ratio Nominis & Appellationis. Quis primus Regii capitis inſigne uſurpaverit, incertum eſt. Materia Diadematis priſcorum Regum. Ejus Habitudinis reliquiæ in moderno Turcarum Turbante cernuntur. Ejusmodi vero Faſciam ſeu Diadema Orientis Regibus in uſu fuiſſe, variis adſtruitur exemplis. Alia Regna habuerunt Reges aurea geſtantes inſignia. De Corona Saulis, Regis Ammonitarum, ut & Davidis Iſraelitarum, prolixius diſquiritur. Has Perſarum Tiara ſeu Cidaris excipit, cujus Materia & Forma expenditur. Parthorum, Indorum, Ægyptiorum, ut & Romanorum Regum, atque Imperatorum Capitis inſignia. Quid στέμμα *ſ. Diadema aureum. Ejus Materia atque Habitudo. Quibus in uſu. His ſubſequitur Turbant modernorum Imperatorum Turcicorum, ut & aliorum Regum Aſiæ, Africæ, & Americæ. De cujus diverſa Materia, Figura & Dignitate pluribus diſſeritur.*

Priſcis itaque Regibus, quorum ſupereſt Hiſtoria, *Syriæ* videlicet, *Parthiæ*, *Phrygiæ*, *Macedoniæ*, *Perſiæ*, *Ægypti* &c. Regiæ dignitatis inſigne atque character *Diadema* fuit, ſic dictum παρὰ τὸ διαδεῖν, quod eſt *cingere* ſive *circumligare*; erat enim priſcum illud Regii capitis inſigne, *Vinculum ſeu Faſcia candida & lata, e materia lintea & plectili, ita compacta & complicata, ut capiti circumligari, adverſusque ingruentes ictus munimento eſſe*

poſſet (1). Qua certe ratione in perantiquis Numiſmatibus, priſcorum Regum capita redimita conſpiciuntur. Non vero a græca dictione *δύο duo* & latino verbo *demo*, quod ſua rotunditate principium & finem demat, ut *Joannes Andreas* (2) judice *Solerio* (3) ineptit. *Lucianus* (4) id ipſum vocat *ταινίαν λευκὴν candidam tæniam* ſeu *faſciam*. *Suetonius: candidam faſciam* (5). *Silius* (6), *Vittam albentem*. *Valerius* (7), *exiguum pannum*. *Stobæus* (8) *ῥάκος regni inſigne*. *Tacitus* (9) *Regium inſigne*, *Saluſtius* (10), *Regium decus*. *Seneca* (*), *Regiæ frontis notam*. Ejus vero Formæ reliquias in moderno Turcarum Turbante [de quo infra ſuo loco] etiamnum ſervari docet *Cœlius Rhodiginus* (11), & ex eo *Camerarius* (12). *Cornelius* vero *a Lapide* (13), & qui huic ſuccinit *Io. Aringhius* (14), idem plane cum Turbante Turcico eſſe ſtatuunt.

Quis vero primus hoc quicquid eſt ornamenti, tanquam Regiæ Majeſtatis inſigne adhibuerit, in quæſtionem equidem venit, aſt in incerto poſitum relinquitur. Antiquiſſima Coronæ ſeu Diadematis mentio fit apud *Joſephum* (15), is enim narrat, Moſen adhuc infantem, cum ad Pharaonem Ægypti a Filia ejus Thermuthe adduceretur, ut Regium ei imponeretur Diadema, in terram idipſum projeciſſe pedibusque conculcaſſe. Ex qua vero materia, quave Forma confectum illud fuerit, non au-

(1) *Vid. Alexander ab Alexandro* Lib. *I. cap. 18. Briſſonius de Regno Perſ. Lib. I pag. 33. ſeq. Caſalius de Prof. & Sacris Vet. Ritibus Cap. XXVI.* (2) *In Clem. Roman. de Jurejur.* (3) *De pileo Sect. IX.* (4) *In Navigio ſ. de Votis. Et in Colloq. Diogenis & Alexandri.* (5) *In Julio Caſ. cap. 79. Conf. Caſauboni Notas in h. l.* (6) *Lib. XVI. v. 243. ſeq.* (7) *Lib. VI. cap. 2. §. 7.* (8) *Serm. XLVII.* (9) *Annal. Lib. II. cap. 56.* (10) *In bello Jugurthino.* (*) *In Thyeſte Act. II. choro. & Act. II. Sc. 2* (11) *Antiq. Lect. Lib. XXIV. cap 6.* (12) *Loc. cit. cap. 61. pag. 276.* (13) *Comment. in Cap. XXIV. Ezech. v 17.* (14) *Roma Subter. Tom. II. Lib. VI. cap. 49. §. 2.* (15) *Archæol. Lib. II. cap. 5. Idem ex Joſepho refert Mich. Glycas Annal. Parte II. pag. 206. & Viterbienſis Part. V. pag. 114. Conf. Maderus de Cor. Nupt. pag. 16.*

audemus affirmare , cum Joſephus nihil amplius referat.

Interim quicquid hujus ſit, illud tamen extra omnem poſitum eſt controverſiam, in vetuſtioribus Regnis ſive *Aſiæ* ſive alibi, Regiæ dignitatis argumentum atque inſigne, fuiſſe Ligamentum illud de quo diximus, h.e. Diadema ex lanea vel lintea materia confectum. Teſtatur in genere hac de re *Dio Chryſoſtomus* (16): *Si quis alius*, inquit, *caput illæſum faſciis obligaret omnibus eſſet ludificatui, Regibus tamen id honeſtum putant, & multa hominum millia pro eo linteolo mortem oppetiverunt.* Pari ratione hac de re, ex *Valerio* etiam *Maximo* (17) conſtare poteſt, quando Favonium, Pompejo faſcia crus alligatum habenti, Regias vires *exigui panni* cavillatione, exprobrantem, dixiſſe narrat: *Non refert qua in parte corporis ſit Diadema.* Adeo enim Romanis erat inviſum iſtud Imperii aut regni potius ſignaculum, ut in Pompejo faſciæ licet crurales affectati regni ſuſpicionem moverent (18).

Speciatim vero *Syriæ* Regibus Diadema ejusmodi in uſu fuiſſe luculenter teſtatur dictum illud ſapiens, quod *Seleuco* Regi *Paſchalius* (19) ex *Plutarcho* (20) & *Valerio Maximo* (21), *Stobæus* (22) vero *Antiocho* adſcribit, hunc enim ferunt traditum ſibi Diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe, ac dixiſſe: O nobilem magis quam felicem *pannum* [Plutarchus *Diadema*], quem ſi quis penitus cognoſcat, quam multis ſolicitudinibus, & periculis, & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet. Tale pariter geſtavit *Alexander Magnus* Rex *Macedonum*, cum enim Lyſimachum haſtæ cuſpide in fronte ita vulneraſſet, ut ſanguis cludi non poſſet, Diadema Rex ſibi demptum alligandi vulneris cauſſa, capiti ejus, defectu ſcilicet faſciæ, ut *Appianus Alexandrinus* loquitur,

(16) *Oratione LXVI. de Gloria.* (17) *Loc. cit. vid. Notæ Oliverii in h. l.* (18) *Caſaubonus Loc. cit.* (19) Lib. IX. cap. 3. (20) *An Seni ſit ger. Resp. Tom. II. pag. 790. A. B.* (21) *Lib. VII. cap. 2. In Ext. §. 5.* (22) *Loc. cit.*

tur, impoſuit (23). Idem probant Nummi Macedonici. Nec enim revera, quotquot eorum extant, aliam habent effigiem præter apertum caput Diademate cinctum, ſic etiam Patrem ejus videmus & ſucceſſores (*). Quod tamen diverſum fuit ab eo, quod aſſumſit Perſiæ Regibus ſimillimum, de quo infra ſuo loco pluribus.

Hujus quoque generis *Tigranis Armeniæ* Regis, inſigne regium fuit, candida ſcilicet faſcia, quam ante pedes Pompeji abjeciſſe dicitur (24), velut dominationi cederet & omni publico munere ſeſe abdicaret. Idem & *Ponti* Regibus in uſu fuiſſe, *Monimæ* Reginæ [quæ eodem inſigni ornabantur (25)] Mithridatis uxoris exemplum nos edocet, cum enim Mithridates in libera ejus voluntate repoſuiſſet, quodnam mortis genus eligeret, Monima avulſum a capite *Diadema* collo circumligavit, & ſe ipſam ſuſpendit: quo cito abrupto, o execrabilis, inquit, faſcia, neque ad hoc mihi utilis fuiſti (26). Pari ratione & *Vologeſes* Parthiæ Rex fratrem ſuum *Tiridatem Armeniæ* Regem conſtituens, *Diademate* caput evinxit, ceu luculenter idipſum *Tacitus* confirmat (27).

Ejusmodi quoque inſigne in uſu fuit *Aſſyriæ* Regibus *Faſcia* ſcilicet ſive *Diadema*, & quidem Διάδημα βύσσιον πορφυροῦν h. e. *Diadema purpureum ex byſſo*, ut conſtare nobis poteſt vel

(23) *Lucianus Dial. Alex. & Diogen. Juſtinus Lib. XV. cap. 3.* (*) *vid. Golzius Loc. cit. Conf. Seldenus in Tit. Hon. Parte I. cap. 8. pag. 168.* (24) *Plutarchus in Pompejo Tom. I. pag. 657. Dio Caſſius Lib. XXXVI. pag. 26. A. B. Conf. Alexander ab Alexandro Loc. cit. Spanhemius de Præſt. & uſu Numiſm. pag. 455.* (25) *Vid. Laz. Bayfius de Re veſtiar. pag. 83. Cæl. Rhodiginus Lect. Ant. Lib. XXIV. cap. 6 Camerarius Hor. Succ. Cent. I. cap. 61.* (26) *Plutarchus in Lucullo Tom. I. pag. 503. B.* (27) *Annal. Lib. XV. cap. 2. Conf. Lib. VI. cap 37. §. 2. Ex quo loco apparet Parthorum Regum capitis inſigne, in orbes ſinuatum utique fuiſſe vid. Briſſonius de Regno Perſ. Lib. I. pag. 34.*

vel ex Libro *Eſtheræ Cap. VIII. com. 19.* (28). Idem & in *Africæ* Regibus priſcis unicum Regiæ Majeſtatis inſigne fuiſſe, *Silius Italicus* (29) teſtis eſt: *Syphax* enim Rex, Scipionem convivam accipiens

Induitur Chlamydem, regnique inſigne vetuſti
Geſtat læva decus, cinguntur tempora vitta
Albente.

Et poſt ſacrificium infauſtum (30):

Vittaque, majorum decoramen *fronte ſine ullo*
Delapſa attactu, nudavit tempora Regis.

Atque ex hactenus dictis de priſcorum Regum *Diademate*, liquido nobis conſtare poteſt, ſcilicet, fuiſſe illud Vittam ſeu Faſciam plectilem & plicatilem, quæ lacerari potuit, adque ſuſpendendum & obligandum fuit quam aptiſſima.

Alia vero Regna habuerunt Reges geſtantes *aurea* Capitum inſignia. In Sacro quidem Codice antiquiſſima coronæ Regum, Hebræorum ſcilicet (31), mentio fit 2. Sam. I. com. 10. ubi in textu authentico occurrit vox נזר, qvæ diverſimode interpretatur. In LXX virali redditur τὸ βασίλειον, ac ſi dicas *inſigne Regium*, alii Διάδημα *Diadema*, quod verbum etiam vulgata retinuit. *Joſephus*

T ve-

(28) *Conf. Plinius Lib. VII. cap. 56. Bullengerus de Imperat. Rom. Lib. II. cap. 3. pag. 86. Seldenus Loc. cit. pag. 166.* (29) *Loc. cit.* (30) *Loc. cit. v. 270. ſeq. Conf. Seldenus Loc. cit. pag. 167.* (31) *Hebræorum Reges, ut aliarum gentium Corona Regia haut caruiſſe ex Pſal. XXI, 4. LXXXIX, 40. Jerem. XIII, 18. conſtat, & confirmat id ipſum præter Saulis, Joaſi 2. Reg. XI, 12. 2. Paral. XXIII, 11. quoque exemplum. De Herode, Octavio Auguſto ſupplicante, vid. Joſippus de bello Judaic. pag. 132. 134. ſeq. 186. Conf. Toſtatus ad IV. Reg. XI. qu. XIII. fol. 201. Jo. de Pineda Lib. II. de Reb. Salom. cap. VII. fol. 93. Menochius Lib. I. de Rep. Hebr. cap. IX. qu. XI. fol. 63. Et ex his Carpzovius in Notis ad Schickardi Jus Reg. Cap. I. Theor. IV. Hanc demortuo Rege, una cum cadavere reconditam fuiſſe docet Schickardus Loc. cit Cap VI. Theor.* XIX. *Adde Gilbert. Gaulmynium Lib. II Notar. ad Lib. de vita & morte Moſis cap. VI. p 316. ubi de Regio habitu plura.*

vero (32) appellat Βασιλικὸν ςέφανον & ςέφανον ſimpliciter. Quid fuerit, e Textu intelligi nequit. Si vero conjecturas ſequi nobis liceat, ex more Aſiaticorum Regum illius tractus, poſſumus ſtatuere fuiſſe *Diadema laneum* vel *lineum* (33). *Grotius* (34) nihil movet, tantum dicit, fuiſſe Coronam quali utebantur Reges Hebræi, nec magis *Serarius* (35) atque *Brentius* (36). *Sanctius* (37) vero plura de hac Corona annotat, dicitque conſuetudinem Regum inter gentes fuiſſe, ut ſua gererent inſignia Regia: quos Saul quoque primus Iſraëlis Rex, imitatus fuit, de ejus vero materia atque ratione formali nihil plane in medium profert. *Sebaſtianus Schmidius* (38) feliciſſimus ille Scripturæ Sanctæ Interpres, magnum eſſe diſcrimen exiſtimat, inter עטרה, *Atarah*, qualis Regis Filiorum Ammonis (39) fuit, & eæ eſſe ſolent, quibus hodie Reges coronari ſolent, & inter נזר *Neſer*, qualis hîc Saulis fuit. Quemadmodum namque נזר ſ. *Corona* Sacerdotis magni (40) [de qua infra ſuo loco pluribus] bractea ſeu lamina quædam aurea fuit, in capite cum cidari poſita: ita videtur etiam Regum Iſraëliticorum נזר ſive *Coronula*, *ejusmodi Capitis ornamentum, in capitis tegumento fuiſſe*, & quidem ex *auro* conflatum, ut expreſſis verbis *Joſephus* (41) teſtatur. An vero, & quare *Saul* coronam auream [ſi omnino vox נזר Coronam hoc loco denotet) ſecum in bellum ſumſerit? ſuo infra loco pluribus docebitur.

His itaque demonſtratis neſcio quæ *Paſchalium* (42) cœperit veſania, quando adverſus expreſſum ſacræ paginæ teſtimonium, aſſerere non erubuit, *ante eum diem, quo Davidi conceſſa divinitus de Ammonitis fuit victoria, nulla apud Reges Judaeorum mentio corona, non in Saule, non in ipſo Davide, ſed*

(32) *Antiq. Jud Lib. VI cap ult & Lib. VII. cap. 1. 2.* (33) *Vid. Seldenum Loc. cit pag. 163 ſeq.* (34) *In Notis ad h. l.* (35) *Comment. ad h. l.* (36) *Comment ad h. l.* (37) *Comment ad h. l.* (38) *In Comment. ad h. l Quæſt IV vid. Coccejus in Lexico.* (39) *II. Sam. XII, 30.* (40) *Exod. XXIX, 6.* (41) *LL. cc.* (42) *Lib. X. cap 10. pag. 695.*

ſed ſolum unguenti, quum tamen ex hactenus dictis clariſſime appareat, Amalekitam quendam, *Saulis Coronam*, [cujuscunque materiæ aut formæ ea tandem fuerit] ad Davidem pertuliſſe. Sed ita perbelli illi Scriptores, turpiter & ipſi errant & alios ſimpliciores errare faciunt, qui cum Scripturam S. ne vel obiter forte aſpiciunt, attamen audent ex Scripturis contra Scripturam mentiri. Accedit quod *Clemens Alexandrinus* (43), id vulgo de omnibus Judæ & Iſraëlis Regibus aſſerat: *Scio,* inquit, *veteres Judæorum Reges habuiſſe Diademata ex auro & gemmis.* Quæ capitibus eorum imponebantur cum eos ungeret Summus Sacerdos: geſtaruntque ea usque ad captivitatem, poſtquam ad CCCCLXXX. circiter annos, nemo hac in gente uſurpavit ea, usque ad *Ariſtobulum*, qui C. ante Chriſtum vixit annis, ejusque revocavit uſum, inde continuatum ad *Agrippam* usque circa Veſpaſiani tempora (43). Hinc *Juſtus Tiberienſis* ad hunc Agrippam ſcribens, ipſique coævus, hoc eum ornavit titulo: ἰȣδαίων βασιλέων τῶν ἐν τοῖς ςέμμασι: *Ex Regibus Judæis coronatis oriundo* (45).

Altera, cujus in Sacro Codice mentio injicitur, *Regia Corona* illa eſt, quam ex ſpoliis *Ammonitarum*, Davidem accepiſſe legimus, de qua *Scriptura* (46): *Et ſumſit Coronam Regis eorum de ſuper capite ejus, [cujus pondus talentum auri, & lapis pretioſus] fuitque ſuper capite Davidis:* De qua hac Corona, quid fuerit, & quomodo capiti hominis tanta moles [unius ſcil. talenti, h. e. CXX librarum, cui æquivalent XII M. aurei Hungarici (47)] imponi potuerit, multum ſane inter Scripturæ Interpretes diſputatur (48). Nonnullis (49) duo hic videntur dici poſſe, 1) quod thronus regius in *Rabbah* conſtitutus, in quo ſuſpen-

(43) *Pædagog. Lib. II. cap. 8.* (44) *Joſephus Loc. cit. Lib. XIII. cap. 15.* (45) *Vid. Schickardus & Carpzovius LL. cc. Seldenus Loc. cit. pag. 165.* (46) *II. Sam. XII, 30.* (47) *Vid. Calovii Biblia Illuſtrata ad Exod. cap. XXV, 39. XXXVIII, 25. & ad Loc. cit.* (48) *Rabbinorum Diſpp. vid. ap. Dav. Kimchi h. l.* (49) *Seb. Schmidius Loc. cit. ad h. l.*

ſa fuerit corona ita, ut, ſi Rex in throno ſederet, capiti ejus corona immineret. 2) quod corona iſta in coronatione Regum uſurpata, per certos viros ſublata, & ſuper Regis capite ſuſtentata fuerit: quod poſterius magis cum litera videtur congruere. Multa namque a Regibus & populis fieri ſolent ad oſtentationem potius, quam ad commodum & frequentem uſum. Ita videntur Ammonitæ coronam hanc oſtentationis gratia feciſſe & uſurpaſſe, ut talis in aliis regnis non inveniretur.

Alii talentum *minus* intelligunt, quod fuerit LX librarum, atque potuiſſe utique Regem coronam illam ad breve tempus in capite geſtare (50). Nonnulii talentum Syrorum, quod tantum XXV librarum fuerit, intelligi volunt: ſed quum & hoc pondus capiti valde incommodum, nec agnoſcat *Villalpandus* talenti diverſas ſpecies, placet quibusdam nomen מלכם explicare non pro *Rege*, ſed pro *Idolo* Ammonitarum quod ferre tantum pondus potuerit. Conſtat enim ex Hiſtoriæ Annalibus, Gentiles Idola ſua præſtantiſſimis ornatibus exornari conſueviſſe. Hujus igitur Idoli Corona, a Davide fuit ablata; quam David juxta Legem purgavit, indeque ſibi coronam pro ſuo capite ordinare conficique curavit (51). Vel ſi quis plane vertendum cenſeat *Regis eorum*, [quia eadem corona hæc capiti Davidis dicitur impoſita, nec mentio fit, quicquam in ea mutatum] manet tamen adhuc difficultas, quomodo id a Davide ſuſtineri potuerit? quæ fortaſſis non male ſolvetur, ſi nomen שקל accipiatur non pro *pondere*, ſed pro *valore* & *pretio*, ut ſenſus ſit: *Corona hæc pendebat talentum*, h. e. æſtimabatur pretio talenti auri, propter artificium & gemmas, quibus procul dubio fuit ornata & onerata (52).

Sed miſſis his, porro nunc verſus Orientem tendimus, inque *Perſarum* antiquiſſimo Imperio pedem ſiſtimus. Quemadmodum autem priſci Imperatores Perſici & magnitudine Re-

(50) *Rabbi D. Kimchi ad h. l.* (51) *In hac ſententia eſt Münſterus & Friedlibius ad h. l.* (52) *Conf. omnino Calovii Biblia illuſtrata ad h. l.*

Regnorum, & virium potentia præ multis aliis Orientis Regibus eminebant, pari ratione & peculiari capitis inſigni ab aliis Regibus ſeſe diſtinguiſſe deprehendimus. Quod enim iis, quos hactenus recenſuimus, Regibus, dicebatur *Diadema* ſeu *Faſcia*, illud Perſarum Imperatoribus fuit *Tiara*, quæ & κυρβασία, propriove nomine *Citaris* ſeu *Cidaris* dictum fuit, utrumque enim promiſcue uſurpatum, doctiſſimus in Antiquitatibus Perſicis *Briſſonius* (53), ex *Heſychio* probatum dedit. *Ammianus* equidem *Marcellinus* auctor eſt (54), Regem Perſarum per initia *aureum capitis arietini figmentum interſtinctum lapillis pro Diademate geſtaſſe.* Poſtea Tiaram Diademate ita cinctam ſumſiſſe, ut ſinus quoſdam undulatos, & albentes efficeret (55). Quod ſi vero *Juſtino* (56) fides habenda, dicendum utique erit, Tiaram jamdum a *Semiramide* adhibitam fuiſſe, ait enim, Semiramidem ubi poſt obitum mariti ſui Nini, pro uxore Nini filium, pro fœmina puerum ſe ſimulaſſet, *Caput Tiara texiſſe*, & ne habitu novo in ſuſpicionem procerum incurreret, eodem ornatu & populum veſtiri juſſiſſe. Aſt cum tota hæc Juſtini narratio ſuſpecta Eruditis (57) videatur, hinc falſum quoque eſſe dicimus, quod Tiaræ origo atque prima geſtatio Semiramidi accepta ſit referenda.

Utcunque vero ſit, illud tamen extra controverſiam poſitum eſt, quod Regum Perſicorum capitis inſigne proprio nomine dictum fuerit *Tiara* ſeu *Cidaris*, ceu plurimis antiquorum Scriptorum teſtimoniis, erudite id evicit laudatus jam *Briſſonius* (58). Ceterum *quinque* apud Perſas Tiaræ fuiſſe ſpecies, Cl. *Paſchalius* (59) annotavit. Unam univerſæ Perſarum

(53) *De Regno Perſarum Lib. I. pag. 31. ſeq.* (54) *Lib.* XIX. §. 1. *Conf. Spanhemius Loc cit. pag. 362.* (55 *Bullengerus Loc. cit.* (56) *Lib. I. cap. 2.* §. 3. (57) *Vid. Jac. Salianus Tom. I. Annal. Eccl. ad A. 2049. n. 1 pag. 204. Jo. Biſſelius Tom. I. Ruinarum illuſtr. pag. 475. & ex his Eberh. Rud. Roth Diſſ. de Velamine Capitis Virili Cap. II. §. 5* (58) *Loc. cit. Conf Spanhemius Loc. cit. pag. 456. ſeq.* (59) *Lib. X. c. 1.*

rum genti communem. Alteram primorum. Tertiam Judicum. Quartam Sacrificantium. Quintam Regiæ Majeſtati propriam, quæ & forma & regalibus additamentis, a pileo illo aliis communi, diſtinguebatur. Interfuit autem inter communem Perſarum, Regumque Tiaram illud, quod hæc *recta & ſurſum elata erat, apice ſeu cono in ſublime erecto:* reliquorum vero deorſum vergebat, & in frontem deducebatur. Hinc ſoli tantum Regi rectam Tiaram geſtandi jus erat (60). Proinde, cum Demarato Lacedæmoniorum Regi a Xerxe, conceſſum eſſet, petere quodcunque vellet, id unum poſtulavit, ut ſibi equo inſidenti; Sardes cum *recta* Tiara ingredi liceret, quemadmodum ex Philarcho Svidas, & ex eo *Briſſonius* (61) refert, ob quam poſtulationem Xerxem ira exarſiſſe, ac reſpondiſſe *Seneca* (62) ait: *Id ſolis datum eſſe Regibus.* Altera nota Regiæ Tiaræ ex mente *Paſchalii* (93) fuit *Luna*, hinc *Sidonius Appollinaris* (64) de Tiara Perſica:

Ut faſtu poſito tumentis aulæ,
Qui ſupra Satrapas ſedet Tyrannus;
Ructans ſemideum propinquitates,
Lunatum *tibi flecteret* tyaram

Et carmine 2. ad Anthemium:

Flectit Achæmenius Lunatum *Perſa* tiaram.

Quibus locis vocat *Lunatum Tiaram*, qui revera lunatus non erat: ideoque a *Bullengero* (65) reprehenditur. *Solerius* (66) tamen putat Sidonium facile exponi poſſe, ſi intelligamus Tiaram, in quo efficta acu aut appicta fuerit imago lunæ, quam Perſarum fuiſſe ſymbolum *Curtius* (67) memoriæ prodidit, & fuiſſe

(60) *Vid. Xenophen Lib. II.* Ἀναβασ. Κυρ. *Idem Lib. VIII.* παιδ κυρ. *Conf. Briſſonius Loc. cit. pag. 38. Spanhemius* Loc. cit (61) *Loc. cit. pag. 29. Conf. Plutarchus in Themiſtocle.* (62) Lib. *VI. de Benef. cap. 31.* (63) *Loc. cit. cap. 2.* (64) *In Panegyr. Carm. XXIII.* (63) *Lib. de veſtiment. Pontif. cap. V.* (67) *De Pileo Sect. IX. pag. 190. ſeq.* (67) *Lib. IV, cap. X. num. 6. Ad quem Locum Jo. Freinshemius in Notis*

fuiſſe omen augendi ſubinde imperii, ut *Paſchalius* (68) cenſet. Porro præter eam Lunati Tiaræ expoſitionem, optime ſic dici putat *Solerius* (69), ratione Diadematis Tiaræ appoſiti, quod erat Lunatum. Tertiam notam regii Tiaræ *Paſchalius* (70) facit *materiam auream* ſcilicet & *gemmeam*, aitque confectam fuiſſe eam, ex auro, inſigni lapillorum varietate diſtinctam. Cui vero *Briſſonius* (71) plane contrarius eſt, quando ex *Herodoto* (72) adſtruit, Perſicam Tiaram ex *pannis* ita fuiſſe compactam, ut merito dicatur *impenetrabilis*.

Porro, hanc quam deſcripſimus Tiaram Regiam, cumulabat *Diadema* h. e. Faſcia fronti applicata, non corona, ut contra vulgarem perſuaſionem bene confirmaſſe *Alexandrum ab Alexandro* (74), *Solerius* dicit (74). Liquet hoc ex variis optimæ notæ Scriptoribus. *Xenophon* (75) quando Cyrum deſcribit in publicum prodeuntem, Regio apparatu conſpicuum: Εἶχε, inquit, δὲ καὶ Διάδημα περὶ τῇ Τιάρα, *habebat Diadema circa Tiaram.* Idem docet *Plutarchus* (76), *Lucianus* (77) alii, quorum teſtimonia *Briſſonius* (78) ſtudioſe & diligenter collegit. Et quidem *cærulea Faſcia alba diſtincta*, quemadmodum Diadema illud nobis deſcribit *Curtius* (79). Conjuncta itaque in Regio Perſarum cultu illa capitis ornamenta, *Tiara* ſcilicet ſeu *Cidaris*, & *Diadema* cæruleum albo diſtinctum, non tamen ut eadem, ſed diverſa. Unde poſtremum etiam ſolum retentum ad

ita ſcribit: Neſcio an probe ex hoc loco conjiciat Vir Doctus [Paſchalium intellige] de Coron. Lib. *IX. cap. 18. Perſicum Diadema lunatum fuiſſe. Quod enim hic dicitur Lunam eſſe, Perſarum, non ſic accipiendum eſt, ut intelligatur Symbolum, aut inſigne, aut omen & vaticinium, ut ille putat: ſed ut ex Herodoto Lib. VII. cap. 37. diſcimus, protectorem atque præſidem.* (68) *Loc. cit.* (69) *Loc. cit.* (70) *Loc. cit.* (71) *Loc. cit. pag 31.* (72) *Lib. VII pag. 472.* (73) *Loc. cit.* (74) *Loc. cit. pag. 191* (75) *Lib. VIII. De Pæd. Cyri.* (76) περὶ Φιλαδέλφ. (77) *Loc. cit. & in Piſcat.* (78) *Loc. cit. pag. 32 ſeq.* (79) *Lib. III cap 3. Num. 19 Vid. Notæ Freinshemii in h. l. Conf. Spanhemius Loc. cit pag 456 ſeq.*

ab Alexandri ſucceſſoribus & eorum exemplo ab aliis Aſiæ & Europæ Regibus, verba ſunt Illuſtris atque Doctiſſimi *Spanhemii* (80).



Ut autem deſcriptioni huic & diſcurſui, eo majus accederet lumen, e re utique viſum fuit, *Typum* ſeu *Figuram* tam *Tiaræ ſimplicis*, quam etiam *conjunctæ cum Diademate*, hoc loco inſerere, prout illam a ſiniſtris, ex nummo apud Antonium Auguſtinum, in frontiſpicio editionis *Cornelii Taciti*, hanc (81) vero editionis *Curtii Rufi*, Doctiſſimus *Joannes Freinshemius* exprimi curavit.



Ceterum neque his diſſimilis *Tiara Parthica*, quæ in Auguſti nummis apud *Golzium & Patinum* occurrit, cum arcu & jaculis tanquam Parthorum inſignibus. Ex quibus colligere licet, Tiaram eamque rectam, conſuetum olim fuiſſe Regum cum Perſarum tum Parthorum inſigne, ceu pluribus id idpſum probatum dedit laudatus ante *Spanhemius* (81).

Indorum priſci Reges pro regio ornatu habuerunt, ut cum foras prodirent, *aurea mitra* pluribus gemmis diſtincta, & ſindone amicti tympaniſque & tintinabulis præcedentibus, conſpicui fierent (83).

Quid alii Aſiæ Reges illorum temporum geſtarint, non ſatis conſtat. Quare miſſis iis, quæ intra Aſiæ terminos obſervan-

(80) *Loc. cit.* (81) *Comparet hac forma etiam apud Solerium Loc. cit. pag. 188. Edit. Amſtel. de Anno 1672 12.* (82) *Loc. cit. pag. 427. ſeq.* (83) *Strabo Lib. XV. Philoſtratus in Vita Apollonii Lib. II. & ex his Alex. ab Alexandro Loc. cit.*

vanda videbantur, verſus *Africam* vela tractationis noſtræ expandimus. Speciatim itaque *Numidis* Regibus ſceptrum in ſiniſtra & *candida* in fronte *vitta*, inſigne regale habitum fuiſſe *Alexander Neapolitanus* (84) refert. *Ægyptiis* autem Regibus, nunc *leonis*, nunc *tauri*, aut *draconis* efficti *imaginem*, aut *ignem*, *arboremque* effictam ſupra caput ferre, principatus & regii dominatus inſignia fuiſſe, *idem autor* ex *Diod. Siculo* (85) memoriæ reliquit. Imo nonnunquam & *Diadema aſpidis imagine diſtinctum* Ægyptiornm regum ſpectatiſſimum inſigne fuit (86). Quod ſi vero *Seldeno* (87) adſtipulandum, dicendum utique erit, figmenta illa exuviarum, minime fuiſſe inſignia regia, verum notas ſaltim & characteres proſapiæ aut familiæ, qui enim ab Hercule ſe deſcendiſſe gloriabantur, leonis exuvias ſibi imponebant, alii aliud de ſimili cauſſa. *Paſchalius* (88) contra ex *vita Æſopi* refert, Ægyptiorum Regibus geſtamen fuiſſe *διάλιθον κίταριν*, h. e. *gemmatam cidarim*. Quæ tamen facile inter ſe conciliari poterunt, ſi ea obſervemus, quæ Cl. *Spanhemius* (89) doctiſſime annotavit, ſcilicet, Barbaris his Regibus, haud unum tantum Capitis inſigne uſurpatum olim fuiſſe, ſed modo Diadema, ut in nummo *Arſacis*, & altero quem expreſſit Triſtanus, modo duplex Diadema, quo uſus dicitur *Artabanus* Parthorum Rex apud *Herodianum* (90), modo *Cidaris* aut *Tiara cum Diademate*, ut Reges Perſarum, modo *aureum capitis arietini*, *leonis*, *tauri*, &c. figmentum, ut ſupra de Regibus Ægypti dictum: modo quoddam *Mitræ regiæ* genus, quale in nummo quoda n expreſſum, apud eundem Auctorem conſpicitur. Imo quot Regna, tot quoque Diademata olim capiti Regum nonnunquam impoſita, quemadmodum de *Ptolomæo Philometore Joſephus* (91) refert, eum utique duo geſtaſſe Diademata,

V

---

(84) *Loc. cit.* (85) *Lib. II. cap. 2 poſt princ.* (86) *Alex. ab Alex. Loc. cit. pag. 221.* (87) *Loc. cit. pag. 160. Conf. Paſchalius Lib. X. cap. 18. Bullengerus Loc. cit. pag. 90.* (88) *Lib X cap. 3.* (89) *Loc. cit. pag. 429.* (90) *Lib. VI. cap. 2.* (91) *Ant. Jud. Lib. XIII. cap. 8. Conf. Spanhe.*

ta, Aſiæ nempe & Ægypti. Cujus duplicis Diadematis uſum haud abſimilem, in *Artabano* Parthorum Rege ex *Herodiano* jamjam innuimus.

Perluſtratis Africæ Regum Capitis inſigniis, in *Europam* noſtram transjicimus, inque vicina *Sicilia* pedem figimus. Hîc primus qui Diademate uſus dicitur, *Hieronymus* Rex a *Livio* (92) introducitur. Licet enim varia *Hieronis* & *Gelonis* Siciliæ Regum Numiſmata reperiantur, in quibus eorum capita Diademate ornata conſpiciuntur, *Livius* tamen eos illo abſtinuiſſe aperte nos edocet, dum in Hieronymo ejus uſum ut antea inſolitum notat ſcribèns: *Nam quum per tot annos Hieronem filiumque ejus Gelonem nec veſtis habitu, nec alio ullo inſigni differentes a cæteris civibus vidiſſent, conſpexêre nunc purpuram ac Diadema, ac ſatellites armatos.*

Idem & de priſcis *Romanorum* Regìbus obſervandum. Ita *Numam* videas in denariis Gentis Calpurniæ vinctum Diademate, quum tamen neque illum, neque alios Romanorum Reges eo uſos fuiſſe conſtet. Quod ſi non aliunde liqueret, certe fidem faceret *Juſtinus* (93), de ætate qua vixit *Romulus*, ita ſcribens: *Per ea adhuc tempora Reges Haſtas pro Diademate habebant, quas Græci ſceptra dixêre.* Igitur ex cælatorum ingenio profectum, quod in uno vel altero ſuperioris memoriæ Heroum nummo, Diadema occurrit, quo tamen eos nunquam fuisſe uſos conſtat, more ſcilicet per ea tempora ignoto, nec niſi poſt plures ætates ex Oriente in alia Europæ Regna deducto. Equidem *Quirino* a *Juvenali* (94) Diadema tribuitur, cum vero Poëtis æqua ſemper ac pictoribus fingendi ſit poteſtas, Juvenalis hac in parte aſſertio, parvam apud *Spanhemium* (95) meretur fidem. Quod ſi autem *Dionyſius Halicarnaſſeus* (96) audiendus ſit, dicendum erit, Tarquinio utique in uſu fuiſſe *Coronam*

mius Loc. cit pag. 457. (92) Lib XXIV. cap. 5. Conf. Spanhemius Loc. cit. pag. 470. (93) Lib. XLIII. cap. 3. (94) Satyra VIII. (95) Loc. cit. (96) Antiquit. Lib. III. Conf. Seldenum Loc. cit. pag. 169.

nam & quidem *auream.* Ita enim de eo *Dionyſius: Ad ultimum usque diem vitæ & Coronam tulit & veſte indutus eſt purpurea picta, habensque Sceptrum Eburneum, in ſella ſedit Eburnea, atque Lictores duodecim cum ſecuribus ac virgis jus, dicenti ei adſtabant, & euntem praecedebant. Hicque mos etiam cæteris poſt eum regiam poteſtatem habentibus, & poſt ejectionem Regum annuis Conſulibus permanſit præter* Coronam *& veſtem pictam. Alexander* vero ab *Alexandro* (97), Romanis Regibus Diadema ſemicirculare adſcribit, quem & *Tiraquellus* (98) ſequitur, quibus tamen contrarius plane eſt Cl. *Spanhemius* (99) dicens: Dionyſium id non de Diademate, ſed de Toga ſemicirculari obſervare, neque eo loco ullam apud eum Diadematis mentionem aut veſtigium inveniri.

Pari ratione & ſecutos ejectis Regibus, poſt multos annos Cæſares, Diademate aut alio Regiæ dignitatis inſigni minime uſos eſſe, re ipſa comperimus, imo omne decus regium, ut invidioſum, penitus devitaſſe, quippe nomen Regium alibi magnum, Romæ vero intollerabile & infenſum plane fuit, quamobrem ne regio nomine Rempublicam occupare viderentur, ſapienter a Diademate, usque ad Aurelianum, Imperatores abſtinuêre (100). *Triumphales* vero illæ de quibus ſupra jam egimus, nec non *Radiatæ Coronæ*, [quarum *Formam & Habitudinem* adſcriptus hic typus exhibet] quibus nonnullos Romanorum Imperatores in Nummis ornatos conſpicimus, neutiquam fuêre inſignia Regiæ Majeſtatis: nam ſicut illæ ſolummodo erant ſigna victoriæ & ſtrenuitatis militaris, ſic Coronæ Radiatæ in



 prio-

(97) *Loc. cit.* (98) *In notis ad locum Alexandri cit.* (99) *Loc. cit.* (100) *Vid. Alexander* Loc. cit. *Seldenus Loc. cit. Spanhemius Loc. cit.* ***Caſaubonus** ad Suetonium in Caligula cap. 22.*

prioribus Imperatoribus apotheoſin ſeu conſecrationem denotabant, in poſterioribus promiſcue poſitæ videntur; Veteres quippe ſolares illos radios, divinitatis typum fecerunt. Habet autem Solis corona XII radios, quia ſigna Zodiaci XII annorum curſu pertranſit. Cui & proprie hæc corona tribuitur, illisque qui genus ab illo ducunt (101). Inde *Virgilius* (102)

> - - - *ingenti mole* Latinus
> *Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum*
> Aurati bis ſex radii *fulgentia cingunt*
> *Solis avi ſpecimen.*

Latinus enim filius fuit *Circes*, & hæc *Phœbi* filia.

Tractu tandem temporis, cum Pacis intereſſet, Rerum ſummam iterum in unum conferri, ad *Diademata* reditum fuit, non quidem aperte, cum Romanis nimium, ut diximus, inviſa eſſent, tanquam Regni ſignacula, ſenſim tamen Imperatoribus eo contendentibus. Quod igitur primis Romanorum Imperatoribus exoſum fuit, poſterioribus familiare fuiſſe deprehendimus: at vero cui hoc quicquid eſt ornamenti primum debeatur, in incerto res eſt. *Victor* (103) id alibi *Aureliano*, alibi (104) [ac ſi ſui eum pœniteret] *Caligulæ* illud adſcribit. *Jornandes* (105) contra *Diocletiano*: *Cedrenus* (106) vero & *Faſti Siculi*, *Conſtantino M.* illud tribuunt. Rurſus alii (107), *Veſpaſianum* primum Diadema geſtaſſe ajunt. Quos tamen ſingulos refellit Cl. *Paſchalius* (108), *Victoris* ſententiæ ſubſcribens. Doctiſſimus vero *Spanhemius* (109) *Caracallum* omnium pri-

(101) *Vid. Adolphus Occo in Numiſm. Imp. Nonnius ad Golzii Numiſm. Jul Cæſ pag.36. Auguſti pag.48. Vaillantius Loc. cit. P. I. pag. 40. 75. Caſalius Loc, cit. Paſchalius Lib. IX. cap. 13. Fileſacus Select. Lib. I. cap. 5.* (102) *Æn. Lib. XII. v.161. ſeq. Vid. Servius & Taubmannus in Notis.* (103) *In Aureliano.* (104) *In Caligula.* (105) *De Regn. ac Temp. Succeſſ. Lib. I. in Diocletiano.* (106) *Comp. Hiſtor. ad A.XXI. Imp. Conſt.* (107) *Sulpitius Severus Hiſt. Sacr. Lib. II. Philoſtratus in vita Apollonii.* (108) *Loc. cit. pag. 607.* (109) *Loc. cit. pag. 683.*

primum, *Salmaſius* (110) autem *Heliogabalum* primo gemmatum Diadema uſurpaſſe tradit, poſt *Julianum* uti tentaverat *Caligula*, poſt *Diocletianum* vero omnes gemmato uſos eſſe. Quæ tamen facile conciliari poterunt, ſi dicamus, morem illum forte minus conſtantem & interruptum per intervalla pro imperantium ingenio, poſteris occaſionem dediſſe, ut primos ejus rei inventores crederent, penes quos primitus illius uſum viderunt. Deinde etiam diſtinguendum eſt inter uſum Diadematis geſtandi *publice*, & qui *domi* ſive *privatim* fiebat. *Caligula* quidem inſigne Regni capiti nectere tentaverat (111), at *prohibitus eſt;* ita & *Heliogabalus* impoſuit quidem gemmis pretioſis ornatum Diadema capiti, aſt *domi* ſolum (112). *Solennem* vero & *ordinarium gemmati* Diadematis uſum ſub *Conſtantino Magno* inductum Cl. *Spanhemius* rectiſſime aſſerit (113), quemadmodum enim Romanorum Imperatores hactenus Diademate vel plane caruerant, vel rariſſime eo uſi, ſic in Conſtantino mos iſte perpetuus factus eſt: *Habitum regium gemmis, & caput exornavit* perpetuo *Diademate*, ait *Victor* vel Epitomator ejus (114). *Bullengerus* (115) vero ita exponit *Cedreni* locum citatum, ut dicat, Conſtantinum non quidem *primum* Diademate fuiſſe uſum, ſed quod *primus Diadema gemmis & lapillis curioſis ornârit.*

Ceterum uti non una omnium ratio, ita nec unius illa Diademata fuêre generis, unde nec eadem ſemper forma contexta, in nummis conſpiciuntur. In eo tamen potiſſimum conſtat differentia, quod *priora* illa fuerint *textilia aurea cum lapillis & margaritis, poſita ad Imperatoris frontem, & pone revincta.* Alia vero ex *lamina aurea* & quidem vel *pura & ſine gemmis*, vel *duplici linea gemmarum interſtincta.* Quo pro-

V 3 nio-

(110) *Exercit. Plin. pag. 370. ſeq.* (111) *Suetonius Cap. 22. Vid. Notas Caſauboni.* (112) *Lampridius in ejus vita cap. XXIII. vid. Caſaubonus, Salmaſius in Notis.* (113) *Loc. cit. pag. 682. Conf. Seldenus* Loc. *cit. pag. 172. ſeq.* (114) *In Conſtantino.* (115) *Loc. cit. pag. 86.*

niores enim Imperatores ad luxum, eo pretioſior & operoſior ornatus erat. Prioris generis fuère, quæ proprio quaſi voca-



bulo *Diademata* dicta, illa vero quæ ex iis paulatim mutata, eaque ſecuta ſunt, Græci ςέμματα βασιλικὰ appellant (116). Utriusque hic tibi *effigiem* & *ideam* damus, prout illud, apud *Ciampinum* loc. cit. depictum deprehenditur, hoc vero multi poſt Conſtantinum Imperatores in Nummis ornati conſpiciuntur. Quorum Icones produnt Doctiſſimi & Diligentiſſimi Nummorum editores *Triſtanus*, *Patinus*, *Vaillantius*, *Spanhemius*, Locis cit. & *du Cange* in ſuo Tractatu, *de Familiis Byzantinorum*, qui cum iis abundent, adiri a curioſis fuerit oportunius, quam hic a nobis referri.

Atque hoc, quod diximus, Imperatoriæ dignitatis inſigne poſt Conſtantinum communiter fuit uſurpatum, Auguſtive faſtigii proprium & peculiare per longa tempora manſit inſigne, quemadmodum hac de re multi Imperatorum nummi teſtantur. Poſtmodum autem Diadema illud tam multas easque varias adeptum eſt acceſſiones, ut novæ tandem eæque variæ atque diverſæ Diadematum formæ exinde fuerint enatæ. Peculiariter autem & ſingulari modo imperatorium illud Diadema auctum eſt, dum ſphæra vel circulus ab una aure ad alteram pertingens, caputque tegente ſuperſtruetetur, ex quo augmen-

(116) *Vid. Curopalates in Opere de Offic. Aulæ Conſtantinopol. pag. 100. Salmaſius Loc. cit. Spanhemius Loc. cit. Seldenus* Loc. cit. *Paſchalius Lib. IX. cap. 7. pag. 585. Ciampinus Loc. cit. pag. 110.*

mento Coronarum clauſarum, quæ ſubſecutis temporibus adhibitæ fuerunt, originem deducere, non immerito æſtimamus (117), de quibus infra pluribus dicendi erit locus.

Ante vero quam tractationi huic colophonem imponimus, reſtat ut paucis nunc evincatur, quo jure & fundamento, ſingula illa quæ hactenus luſtravimus Regia inſignia, in ſupra dictis *quotidiana Regum geſtamina* dixerimus; id quod ex ſequentibus fiet manifeſtum.

Et quidem in genere hac de re teſtatur *Apuleji* (118) effatum: *Quod Diogeni*, inquit, *& Antiſtheni pera & baculus, hoc regibus eſt Diadema, Imperatoribus paludamentum, Pontificibus galerum, auguribus lituus*; quippe quæ ſingula illorum hominum perpetua & quotidiana erant geſtamina. Et multo clarius *Plutarchus* (119): *Quomodo neque calceolus liberat a podagra, neque anulus a reduvia, ſic neque Diadema a dolore capitis, quamvis ut illi, perpetuo geſtetur. Gallus* quando pompam & quotidianum Regis comitatum deſcribit, inter alia etiam *Diadema Regium* nominat, ut videre eſt apud *Lucianum* (120).

Speciatim vero id ipſum evincunt atque confirmant, priſcorum Regum exempla, quibus inſignia illa regia quotidiano inſervierunt uſui, in itineribus ſcilicet, in quotidiano amictu atque cultu, imo in ipſo etiam prœliorum conflictu, manuumque conſertione. Sic cum *Alexander M.* paulo ante obitum in paludibus, non procul a Babylone, in quibus multa Aſſyriorum Regum ſepulchra conſpiciebantur, navigaret, ingens oboriebatur ventus, qui *regium capitis ornamentum & Diadema ei alligatum* abripuit, ut illud utpote gravius in aquam procideret (121). Idem & tunc *Alexandro* præſens fuiſſe, quando Lyſimachum in capite vulneraſſet, ex *Juſtini* teſtimonio ſupra (122) allegato, compertum habemus. De *Leonida* Duce Lacedæmo-

(117) *Conf. Seldenus Loc. cit. pag. 173.* (118) *Apolog. I.* (119) Περὶ εὐθυμ. *Tom. II. pag. 465.* (120) *In Gallo.* (121) *Arrianus Lib. VII. de Exped. Alexandri.* (122) *Pag. 141.*

moniorum a Perſis confoſſo, tradit *Plutarchus* (123), eum usque ad Xerxem in conflictu penetraſſe, eique *Diadema* abſtuliſſe. Eodem *Plutarcho* (124) auctore, Perſeus fugiens, lacerata ne agnoſceretur, purpura, *Diadema* in manibus habuit. Adeſt & *Luciani* (125) locus, ubi fictitius ille rex ait, ſe conſerta cum Perſarum Rege manu, caput ei abſcidiſſe, ac detracto illi *Diademate*, ſe jam Regem eſſe, atque ſicuti adorari ab omnibus voluiſſe. Apud eundem, quem jam citavimus, *Plutarchum* (126) legimus Tigranem fugientem detractum capiti *Diadema* filio ſuo dediſſe. Hunc non auſum fuiſſe capiti ſuo Diadema Regium imponere, ſed fidiſſimo e pueris ſervandum dediſſe. Hoc forte capto perductum fuiſſe ad Lucullum. Qua ratione una cum cæteris captivis *Diadema* veniſſe in poteſtatem Ducis Romani. Pari ratione & *Saulus* in prœlio cum Philiſtæis *Regio inſigni* fuit conſpicuus (127).

Et licet ſint nonnulli, qui putant, Saulum in prœlio non geſtaſſe Diadema, ſed Doeg armigerum Saulis, Amalekitæ illi filio ſuo Diadema, quod in ſua habebat poteſtate, dediſſe, ut illud deferens ad Davidem illius gratiam iniret, attamen non videtur hæc ſententia veritati concordare. Nam 1) ex profanis Hiſtoriis, iisque exemplis quæ hactenus adduximus, liquido conſtat, Regia priſcorum Regum capitis inſignia quotidiano inſerviiſſe uſui, atque geſtamini, imo in bello quoque uſurpata ea fuiſſe, idque ex ea potisſimum ratione, ut milites ſuos præſentia & Majeſtate ſua, animarent vel coercerent. *Saulum* eo uſum fuiſſe 2) illud ſuadet, quod 1. Sam. XXXI, 3 *pondus prœlii verſum eſſe in Saul* dicitur, ex quo facile liquet, Saulum Regem ex ſolo Diademate oculis hoſtium notabilem fuiſſe. Accedit quod 3) Reges Iſraëlitici & poſt Saulum, ſua in bello habuerunt inſignia in veſtibus & ornatu, ex quibus cognoſci a militibus

---

(123) Περὶ παραλλ. ἑλλ. κ. ῥωμ. T. II. pag. 306. (124) *In Æmilio Paulo T. I p. 207* (125) *In Navigio.* (126) *In Lucullo Tom. I. pag. 511.* (127) *2. Sam. I, 10.*


litibus poterant. Patet hoc ex I. Reg. XXII. ibi enim Rex Syriæ v. 31. mandat Principibus curruum ſuis, ut non pugnarent, niſi cum Rege Iſraëlis ſolo. Ubi oportet certe *Achabum* Regem Iſraëlis ſua habuiſſe inſignia, ex quibus, quod Iſraëlis Rex eſſet, cognoſci poterat: alias mandatum iſtud Regis Syriæ fruſtra fuiſſet. Præterea Rex Iſraëlis ne agnoſceretur, veſtes mutavit; *Joſaphat* autem Rex Judæ non mutavit verſ. 30. Unde Joſaphat ex veſtibus agnitus eſt, tanquam Rex; *Achabus* autem non eſt agnitus. Oportet itaque iſtud factum eſſe ex veſtibus & aliis inſigniis Regiis: inter quæ licet coronæ Regiæ ibi non fiat mentio, forte tamen præcipue intelligeda eſt, cum vel maxime ex ea Reges cognoſcanrur, verba ſunt *Sebaſt. Schmidii* (128).

Denique ultimo loco in hanc Regiorum inſignium claſſem, referimus quoque modernorum *Imperatorum Turcicorum*, ut & aliorum *Aſiæ, Africæ* & *Americæ Regum*, Regia capitis tegmina, idque ex ea ratione, quod ex veteri uſu & conſuetudine, quotidiano iis inſerviant uſui & geſtamini. Licet enim alibi coronæ ſint introductæ, Orientis tamen aliarumque extra Europam partium Barbari Reges, *Diademata* retinuerunt, quæ in hunc usque diem conſtanti apud eos vigent uſu.

Ex eorum autem claſſe primum locum aſſignamus Diademati *Turcorum Sultani*, quod vernaculo ejus lingua *Turbant* dicitur. Recentiores Græci vocant Φακιώλιον, quaſi *faſciam complicatam* (129). Quæ nomenclatura ſive appellatio ipſi rei eſt convenientiſſima. Conſtat enim hocce Capitis inſigne, ex candidiſſima, munda, tenui leviſſimaque bombycina tela, longitudine multorum cubitorum, quæ ſæpius variisque ſpiris ſurſum deorſum circumvoluta, conglobatum tegmen [quod commodiſſime Diadema dixeris] efficit, e cujus medio apex ſeu

 pileo-

(128) *Comment. in h. l.* (129) *Vid. Suidas in hac voce. Gretſerus ad Codini Lib. II, cap. 5. Solerius Loc. cit. Sect. VIII. pag. 172.*



pileolus holoſericus viridis [quem ſpiræ illæ circum circa ambiunt, atque ſuſtinent quaſi] prominet, per ſtrias diviſus. Huic Diademati ab uno latere [ut ex adſcripto hoc typo videre eſt] criſta pennarum ardeolæ nigræ, variis & exquiſitiſſimi pretii gemmis diſtincta applicatur, mirifice id ipſum decorans (130).

Placet hic inſerere, quæ de hoc Sultani Turcici Diademate ejusque criſta diligenter obſervavit *Tavernierus* (131), quippe quod ad rem præſentem apprime faciant: *Le grand Seigneur porte trois panaches ou maſſes de Heron noires a ſon Turban. Je diray en paſſant qu'el n'y a que les ſeuls Herons de Candie qui ont l'Aigrette parfaitement noire, les Herons de tous les autres pays l'ayant ou blanche ou meslée; & comme il en entre une grande quantité dans un bouquet, cela le rend de grand prix. Ce qui peut-eſtre en a fait perdre l'uſage dans nôtre Europe. Car pour tous les Princes de l'Aſie, ils ont toujurs l'aigrette fort en eſtime, mais il ne faut pas qu'elle ſe trouve rompuë a la pointe ils n'en font nul etat, & elle diminuë tous a faire du prix. Par ces trois aigrettes du Turban du grand Seigneur, ou ſçait que le grand Vizir eſt a l'armée, par ce qu'alors il n'en porte que deux, & la choſe eſt digne d'eſtre remarquée. Quand les troupes doivent marcher, le grand Seigneur fait mettre en bataille celles qui ſont a Conſtantinople & aux environs, & ayant le grand Vizir a ſe côtez, il le leur preſente pour leur General. Les Soldats alors ne diſent mot & ne fond point le ſalut accoûtumé, qu'apres que le grand Seigneur a fait ôter une des aigrettes de ſon Turban, pour la mettre ſur celuy du grand Vizir: C'eſt alors que toute l'armée le*

(130) *Vid. Busbequius Epiſt. III. pag. 184. Georgievviz in Turcarum Moribus pag. 63. Camerarius Hor. Succ. Cent. I, cap. 61. Gabr. Sionita de Mor. Orient. cap, XI. Becmannus Loc. cit.* (131) *Relation du Serrail du grand Seigneur Chap. I.*

le ſalue, & le reconnoiſt pour ſon General, de qu'elle reçoit en meſme temp une paye.

Atque ſoli huic Diademati Turcorum Sultani in huncusque diem aſſueti ſunt. Unde & Selimus II. cum vivente adhuc Parente Solimanno inauguraretur, hoc ipſo caput ornavit, licet præſentem haberet e Theſauris, uti vocant, ſeu Clinodiis Baſilicis, *Balduini* Imperatoris Caliptram ſive Coronam [quæ a temporibus hujus Imp. una cum rubris Sandaliis & Acinace in vagina rubro ſerico obducta, in Theſauro Sultani aſſervatur] ſibi prælatam (132).


Ab hoc quod luſtravimus Diademate Turcico, colore ſolummodo diſcriminatum eſt, modernorum *Perſiæ* Imperatorum capitis Tegmen; quemadmodum enim illis, religione ſic dictante, *viridis*, ſic Perſis *purpureus* placet color; Nec mirum colore Turbantum diſſidere, qui implacabiliter diſſident occaſione ſuperſtitionis, aliter a Turcis, a Perſis aliter acceptæ. Cujus diſſenſus originem atque initia *Solerius* (133) ex *Joanne de Barros* (134), *Oſorio* (135), *Sanſovino* (136), *Remondo* (137), pluribus perſtringit. Atque ex hoc diverſo Pepli colore fit, ut Turcæ, exprobrationis cauſſa, Perſas *Kiſulbaſſas*, h.e. *capita rubra* vocitent. Et memini, ſi ſatis ſcio, in Tranſilvania aliquando me audiviſſe, *Turcas* vulgo, *die weiſſe*, Perſas vero *die rothe Türcken*, ex diverſo ſcilicet Diadematum colore, fuiſſe appellatos. Specialius tamen Perſicum Turbantem nobis deſcribit laudatus *Tavernierus* (138), cujus verba ex vernaculo, in Germanicum Idioma per *J. Menudier* translata, huc apponere lubet: *Der Perſianer Seſſe, ſo wir Bund nennen, iſt aus zartem ſeidenem, mit Gold und Silber durchwürcktem Zeuge, faſt in der Form, wie ein Kürbis. Das obere Theil iſt ein wenig flach, alwo ein Ende des mit Gold und Silber*

(132) *Vid. Leunclavius Pand. Turc. Cap. CXCIX. & ex eo Becmannus Loc. cit.* (133) *Loc. cit. Sect. VIII.* (134) *Decade II. Aſiæ Lib. X. cap. 6.* (135) *De Rebus Eraman. Lib. X.* (136) *De Rebus Turc. Lib. II.* (137) *De Hereſ. Natal. Lib. I. c. 4* (138) *In ſeiner Perſianiſchen Reiſe Beſchreibung Lib. V. cap. 14. §. 54. Conf. Adami Olearii Itin. Perſ. Lib. V. cap. 12.*

B'um weis gewürckten Zeuges, in Geſtalt eines Sträusgen hervor raget. Solche Bünde ſind ſchwer, zumal die, an welchen mehr Gold und Silber als Seide iſt. Die geringſten von denen koſtbahrſten, kommen eine auf 200 Thaler: je des Königes ſeine, koſtet jezuweilen von vier biſs fünff hundert Cronen.

Magni Mogolis ſive Indoſtani Imperatoris Turbantem regium, Itineraria (139) ſequentem in modum deſcribunt: *Sein Turbant iſt von goldenem Zeug, oben iſt ein Vogel wie ein Reiger zu ſehen, deſſen Füſſe mit Diamanten von ungemeiner Gröſſe und Koſtbahrkeit, und einem Orientaliſchen Topaſer, der wol ſeines gleichen nicht hat und wie eine kleine Sonne ſtrahlet, verſetzet ſind.*

Sinenſium Chami pileum regalem *Martinius* (140) ſic nobis deſcribit: *Biretum capiti æquale rotundum gerit, at humile; hoc pretioſa pellis faſcia per circuitum ambit, ad duorum vel trium digitorum latitudinem: [ea plerumque Caſtoris vel Cibellinarum eſt] hæc pellis aures, frontem ac tempora a frigore defendit: quantum vero Bireti ſupra pellis faſciam eminet, tantundem rubra byſſus undique ſparſa tegit, vel nigri aut purpurei equorum crines, quos pulcherrime tingunt, geſtamen ſane commodum, nec inconcinnum.*



Ejus, tibi Lector, Iconem atque typum hic damus, prout in frontiſpicio *Autor* quidam Anonymus (141), Deſcriptionis Regni Sinarum, exſculpi curavit.

Regi *Peguanorum plumbeam* coronam in uſu eſſe teſtis eſt *Le Blanck* (142), cui tamen contrarius videtur *Caſparus Balbus*

(139) *Monſ. de la Motte vom Hoff des groſſen Mogols. Baratti Aſiatiſche und Africaniſche Denckwürdigkeiten pag. 173. Kircherus Chin. illuſtr. Part. II. cap. 5.* (140) *In Hiſt. de Bello Tartar. pag m. 31. ſeq.* (141) *Im Staat von Sina.* (142) *In Itin. Part. I. cap. 22.*

bus (143) ſcribens: *Der König zu Pegu hat auf dem Haupt eine vierfache Crone, an welcher ein jedes Theil auf ſeinem beſondern Stänglein ruhet, alſo daſs ſich die gantze Cron ſehr weit von dem Haupt in die Höhe erſtreckt, Sie iſt übergüldet, und mit ſchönen goldenen Treſſen, welche faſt lang herab hangen gezieret.* Quamvis ſi vox illa *übergüldet* attendatur, in eam venire poſſimus opinionem, plumbeam eam forte eſſe, aſt deauratam.

His itaque abſolutis animus erat, in reliqua nunc quæ reſtant Aſiæ vaſtiſſima Regna, excurrere, verum enim vero cum de illorum, qui his Regionibus præſunt, Regum ſtatu atque rebus, nonniſi ex Itinerariis conſtare nobis poſſit, eorum autem exiguus ſit numerus, quæ ad rem præſentem facientia accurate nobis deſcribant, igitur miſſis exteris his oris, verſus Europam noſtram curſum tractationis dirigimus, hoc unum tantum ἐν παρόδῳ quaſi notantes, *Africæ* Imperatores ſive Reges, æque ut pleroſque Aſiaticos, *linea* vel *lanea rubri* tamen *coloris tela*, capita ſibi involvere (144); *Æthiopum* vero Reges *ſtruthionum, vel pavonum, vel aliarum avium pennis*, in ſpeciem Coronæ coactis [ceu adſcriptus hic typus docet], ut capita, ita & alias corporis nudi partes condecorare conſueverunt; Quæ ſingula capitum Regiorum geſtamina, a vulgaribus non niſi certis plicaturis & diverſis ornamentis ſunt divertentia (145).



Atque hæc de iis capitis inſigniis, quæ ſupra quotidiana Regum geſtamina diximus, pro ratione inſtituti viriumque modulo ſufficiant. Nunc ad reliqua, quæ ex methodo ſuſceptæ tractationis ſequuntur perluſtranda, diſcurſus provolvitur. Sit itaque

 A R-

(143) *im Orientaliſchen Indien pag. 548.* (144) *Vid, Seldenus Loc, cit, pag. 194. ſeq.* (145) *Sionita Loc. cit. Becmannus Loc, cit.*

ARTICVLVS II.

DE

MODERNORVM EVROPAE REGVM CORONIS.

Ratio Ordinis & Connexionis. Modernarum Coronarum uſus diverſus a priſcis Regum Diadematibus, in cujus moris originem inquiritur. De Corona Imperatorum Conſtantinopolitanorum diſcurſus. Primæ Regum Coronæ ſuperne patebant olim, deinde abuſione ab uno cœpta omnes nunc Coronæ Regiæ ſunt opertæ ſeu clauſæ. Primus inter Coronas Europæ Regum locus, tribus Cæſaris Romano-Germanici Coronis aſſignatur, Germanicæ ſcilicet, Lombardicæ & Romanæ: Quarum conſideratur Materia, cujus auctoritate ſint confectæ? Formæ, nec non hodierna cuſtodia. Has excipiunt reliquorum Europæ Regum Coronæ, quarum ſingularum Origo, Materia & Forma prolixius expenditur.

Hucusque occupati fuimus in conſideratione priſcorum Regum capitis inſignium, quæ propter quotidianum uſum cui inſerviebant, *quotidiana Regum geſtamina* nominavimus. His abſolutis earum nunc Coronarum ordimur tractationem, quæ *ſolenni ſolum pompa, re dieque illuſtri* Regia exornant atque evincunt capita. Atque in hanc claſſem reponimus ſingulas Modernorum Europæ Regum Coronas, quibus ſingulis fere ſi non totaliter, ut plurimum tamen diverſa Materia atque Habitudo Formalis, ut ex ſequentibus planum fiet.

Hæc dum conſignare animus eſt, in quæſtionem prius quam rem ipſam aggredimur, vocare lubet, qua occaſione Regia Capitum inſignia, quæ priſcis Regibus quotidiano inſerviisſe uſui demonſtratum dedimus, ſucceſſu temporum, diebus tantum ſolennibus ac pompis, Regiis impoſitá fuerint, hodieque imponantur capitibus? Hujus autem rei primam originem ex iis deducere temporibus non dubitamus, ubi ſolennes & peculiares inaugurandi Reges introductæ ſunt cæremoniæ, hoc

eſt,

eſt, ubi impoſitio Diadematis facta eſt res religionis. Quemadmodum enim in Imperio usque ad *Juſtinum* minorem, Diadematis impoſitio facta ſolummodo eſt, vel ſuffragio, vel a cohorte Imperatoria, vel ab iis qui ejus ſuppleverunt locum, vel denique ab Imperatore ipſo cum aliquem deſignaret ſucceſſorem, ſic *Juſtini* tempore primum fuiſſe inſtitutum legimus, ut *Sacerdotali manu, adhibitisque variis inaugurationis caremoniis*, electo Imperatori corona imponeretur. Neque enim ante ipſum, aliquem Imperatorem, iis cum cæremoniis coronatum fuiſſe conſtat. Ita vero hac de re *Panvinius* (146): *Conſtantinopoli, vel ſub* Juſtiniano, *vel poſt ejus ſtatim obitum, Electioni Imperatoris additum, ut cum primum Imperator renunciatus eſſet*, a Patriarcha Conſtantinopolitano in magna Bizantii Baſilica oleo unctus Diademate redimeretur, *quem ritum coronationem appellarunt, exemplo ab antiquis Hebraorum regibus petito;* Eumque morem atque conſuetudinem deinde reliqua etiam Regna ſecuta ſunt, diverſis tamen temporibus.

Quum igitur hac ratione, auguſta illa Imperatorum humana potentia, vi religionis ſanciretur, hinc inſtitutum dein eſſe arbitramur, ut Regiæ illos Majeſtatis characteres, qui Regis perſonæ ſacris cæremoniis aptabantur, una cum aliis inſignibus regalibus inter ſacra cenſeri, atque a vulgari & quotidiano uſu ſepari inciperent; uſurpatis interim a Regibus & Imperatoribus aliis capitum geſtaminibus, prout ſuaſit aut cupido novitatis, aut luxus regius aut faſtidium, quibus ſingulis tam diverſas atque variantes formas, ut in fœminarum mundo, fuisſe deprehendimus (147).

Atque ſic reſervato ſemel pompis ſolummodo & feſtivitatibus Regiarum Coronarum uſu, factum inde eſt, ut de-


du-

(146) *De Comitiis Imper. Cap. II. & V. Conf. Seldenus Loc. cit. pag. 174. Paſchalius Lib. IX. cap. 7. Becmannus Loc. cit. cap 2. & 3. Bullengerus Loc. cit.* (147) *Vid. Curopalates Loc. cit. Bullengerus, Paſchalius, Seldenus Locc. citt.*

ductus hic per longa tempora mos, reliquis etiam Europæ Regibus, exemplum præbuerit, coronis ſuis non niſi ſingulari occaſione dieque illuſtri, ornatos ſeſe atque conſpicuos reddere. Quam conſuetudinem in hunc usque diem conſtanti vigere uſu, omnibus iis perſpectum bene eſt, qui Dignitatum Illuſtrium non plane ſunt expertes Notitia.

His ita præmiſſis ad rem ipſam nos accingimus, initioque ſtatim recolimus, quæ ſupra de aureis illis Diadematum laminis dicta fuêre, ſcilicet eas labente Imperio tam varia adeptas fuiſſe augmenta, ut hodie unicuique fere Imperio & Regno peculiaris exinde ſit forma Diadematis. De quibus nunc ſigillatim eſt differendum.

Et primo quidem quantum ad Orientalis Imperii coronas attinet, tam ſæpius earum formas in Nummis variantes videmus, ut nullus fere poſt Conſtantinum Imperator appareat, qui non diverſo Diadematis genere ſit conſpicuus. Quare cum Lector harum rerum ſtudioſus, curioſitati ſuæ facilius ſatisfacere poſſit, ſi *Stradam*, *Golzium*, *Patinum* aliosque veterum Numiſmatum collectores adierit, quam ſi a me prolixius hic deſcriberentur, aut directione mea ſculperentur, miſſa igitur hæc facimus, ad recentiora regiorum capitum inſignia properantes. Nec tamen abſtinere poſſumus quin binas ſaltem




hoc loco adjiciamus formas, quales ex ultimis Conſtantinopolitanorum Imperatorum *Heraclio* adſcriptas, deprehendimus. Priorem damus



ex *Cruſio* (148) & *Seldeno* (149), qui picturam Imperatoris Corona veſtibusque induti nobis exhibuerunt. Poſterior vero apparet in magno & eleganti nummo apud *Lipſium* (150), atque a *Paſchalio* (151) ſequentem in modum deſcribitur: *Heraclius geſtat Diadema hodierno regio haudquaquam abſimile. Nam e lamina exeunt radioli. Sed introrſus aſpicitur duplex ſeries foliorum, in quorum apicibus ſunt uniones. Demum intra hunc ambitum in ſublime ſurgit tiara, cujus volumina circinantur, ac tenuantur in apicem. Ipſe apex emittitur veluti in metaa, in apice crux eſt ex unionibus.* Aſt cum Doctiſſimus Reique Nummariæ peritiſſimus *Carolus Patinus* (152), hunc quem ex *Lipſio* allegavimus Nummum, inter ſuppoſititios maxime illuſtrem eſſe, pluribus convicerit documentis, hinc & de illa, qua Heraclius in eo conſpicuus cernitur Corona, facile ferendum erit Judicium.

In aliis vero Occidentalium partium Regnis, aliæ Coronarum ſpecies atque Formæ fuerunt uſurpatæ. Et quidem ſi veterum Europæ noſtræ Regum Nummos hanc in rem conſulamus, liquido apparet priſcos Reges, non niſi ſuperne apertis uſos fuiſſe Coronis, Diademate ſcilicet ſeu Circulo aureo, cujus ſummitati affixa & ſuperſtructa cernimus additamenta pretioſa, varii generis & formæ. Nobis hoc loco, ejusmodi Coronæ apertæ typum qualemcunque exhibere placuit, e cujus lamina, aurea quercus folia exſurgunt, hoc enim quicquid eſt ornamenti, priſco Regum Diademati, ſucceſſu temporis utplurimum fuiſſe ſuperſtructum, ex Tabulis Regum liquido apparet. Deinde



Y abu-

(148) *In Turco-Græcia.* (149) *Loc. cit. pag. 174. 204.* (150) *De Cruce Lib. III. cap. 76.* (151) *Loc. cit. pag. 623.* (152) *Introd. ad Hiſt. Numiſm. Cap. XX. ſub. fin.*

abuſione ab uno cœpta, omnes nunc Coronæ ſunt opertæ ſeu clauſæ, qua occaſione autem hæ ipſæ a Regibus introductæ fuerint, ſuo infra loco ediſſeram.

Inter *clauſas* vero Coronas primum locum aſſignamus tribus *Imperatoris Romano-Germanici* Coronis, *Germanica* puta, *Lombardica* ſeu *Mediolanenſi*, *Romana* ſeu *Italica*. De quarum Origine, Materia, Forma, hodierna cura atque aſſervatione, pluribus nunc agemus.

Et quidem ad *originem* illarum, quod attinet, triplicitati illi occaſionem dederunt, Tria olim ab Imperatoribus Romano-Germanicis poſſeſſa Regna, Germanicum ſcilicet, Italicum & Lombardicum, ut legi hanc in rem poteſt apud *Puteanum* (153) & *Sigonium* (154). Neutiquam vero diverſa atque *triplex* earum *Materia*, ut aperte errat *Albericus* (155), & qui eum cœco ſequuntur impetu. Alias triplicitatis hujus cauſſas aut verius nugas, apud *Limnaeum* (156) congeſtas vide.

Prima itaque inter has Corona ROMANA fuit, ſic dicta, quod Imperatores more olim obſervato, *Romæ* per manus Pontificis Romani ea ſint coronati (157). Hanc *auream*, fuiſſe, nemo quod ſciam inficiatur. Teſtatur hoc exemplum *Ludovici Pii*, qui primum A. 814. Aquisgrani juſſu Patris ſibi coronam impoſuit (158). Poſtea vero Stephanus Papa in Galliam veniens A. 816. Remis coram clero & omni populo conſecravit, & unxit eundem ad Imperatorem, & *Coronam auream* miræ pulchritudinis & pretioſisſimis gemmis ornatam, quam ſecum apportaverat, poſuit ſupra caput ejus (159). Ex qui

(153) Comment ad Hiſt Inſubr. Lib VI. cap. XI. num. 10 (154) De Regno Ital. Lib I. fol. 20. 27. (155) In Dictionario ſuo ſub voce Corona (156) Tom. I. Lib. II cap. XI. Num. 3. ſeq. Conf Knichen in Opere Pol. Lib II. Part. III. Sect. I. Th. 2. (157) Vid. Limnæus Loc cit. Num. 32 ſeq. (158) Vid. Theganus Cap VI. (159) Idem cap. XVII. & ex eo Struvius Synt. Jur. Publ. Diſſ. VIII. §. 27.

quibus facile eſt concludere, hanc Coronam, quam alii *Regalem* appellant, non demum a Caroli V. temporibus petendam, ut *Spenerus* (160) putat, ſed antiquiorem eſſe, ut ſcilicet & forma a Germanica diſtingueretur.

Hujus vero Coronæ *Figuram* adſcriptus hic Typus, qualis paſſim pingitur, nobis exhibet, cui ut eo majus accedat lumen, pleniorem ejus lubet dare deſcriptionem. Differt itaque hæc Corona a reliquis duabus eo, quod intra ejus ambitum Mitra Epiſcopalis bicorni acumine ac vertice exurgat. Ad partem anticam ſeu frontem, Corona iſta habet quinque bene magnos adamantes, quos longa ſeries unionum ad formam crucis diſpoſitorum abſolvit. In parte poſtica duæ apendiculæ ſunt, ex auro tortili Phrygiatæ, rubraque byſſo cum fimbriolis aureis, dependentes. Tota autem Corona cum ipſa intra ſe mitra, ex puro puto auro eſt, & circumquaque ac per totum, ex pretioſorum lapidum divite copia, veluti Rubinorum, Smaragdorum, Adamantum, Unionum, varie in relucentiam gratam ac delectabilem diſtincta & exornata. Habet præterea circulum aureum, medium hiatum mitræ diſpeſcentem, inſtar anſæ recurvum & utrinque in ſe reflexum, qui auream cum pomo in apice crucem geſtat (161). Hæc a loco coronationi ab antiquo tempore deſtinato, *Aquisgranenſis*, imo & *Diadema Regium* appellatur (162).



His tamen contraria plane ſunt, quæ Doctiſſimus *Wagen-*

Y 2 *ſei-*

(*160*) *In Op. Herald. Part. Gen. P. I. Cap VI. §. 16. pag. 312. Conf. Struvius Loc. cit.* (*161*) *Vid. Jo. Fr. Mateneſius de Parentela, Elect. & Coron Ferdinandi II. in Regem Rom. Lib. II. pag. 87. ſeq. Mameranus in Deſcript. Inveſtituræ Mauritio 1548 factæ.* (*162*) *Vid. Aur. B. Cap. XXVI. §. 4. & 28, & Cap. IV §. 3.*

ſeilius (163) refert: *Mihi*, inquit, *haud veriſimile videtur, Coronam Romanam, ſecundum omnem ſuam ſpeciem, a quoquam adumbrari poſſe, eo quod nulla vera & antiqua archetypum præſtans, Romæ extat. Proinde, cum ad quemque Inaugurationis actum nova paretur, neceſſe eſt, varias, ceu in rebus ejusmodi fieri ſolet, circa acceſſoria ornamenta produce figuras, niſi quod illud eſſentiale procul dubio omnes ſervant, ut ex Corona & Tiara fiat apta condecentia & compoſitio.*

Quæ tamen ita conciliari forte poterunt, ſi dicamus, *Wagenſeilio* ſermonem eſſe, de *Coronis Romanis antiquis*, quæ Romæ olim aut alibi Imperatoribus, manu Pontificis fuêre impoſitæ; In hactenus vero dictis adſcriptoque typo, illam Romanam Coronam innui, quæ in hunc usque diem ſupereſt, inque Theſauro Imperatoris fideli cura aſſervatur, quave Ferdinandum II. aliosque ejus anteceſſores, in Romanorum Reges coronatos fuiſſe, *Mateneſius* aliique teſtantur, quæve alias vulgo *Imperatoria* dicitur.

Secunda GERMANICA eſt, in cujus deſcriptione authores mirum in modum variant, multi etiam turpiter errant. Sunt enim qui (164) *ferream* illam eſſe perhibent, ſunt qui *argenteam* (165), ſunt denique & alii (166) qui ex *auro* fabrefactam ſerio nobis confirmant, idque rectius & verius ceteris: quo-

---


(163) *Comment. de Civ. Norib. cap. XXVI. pag. 234. ſeq.* (164) *Chaſſan. in Catal. Glor. Mund. Part. V. Conſ. 27. pag. 141. Schœnb. Polit. Lib. V. cap. 9. Schneider. ad Rubr. Proœm. Inſtit num. 6. Moreau Tab. Armor. Galliæ cap. VI. Thuanus Lib. XXXII. pag. m. 173. Alii Ferream nominant ob Laminam quandam ferream in ſummitate, juxta Rumelium vel Milerum ad A. B. Part. III. Diſſ. VI. §. 7. vel ob cicrulum inferiorem ferreum juxta Oldendorp. in Limnæo enucleato Lib. I. cap. XV. § 13.* (165) *Panvinius Loc. cit. cap. X. & XI.* (166) *Hartm. Maurus de Coronat. Caroli V. Hieron. Balbus de Coronat. ad Carolum V. cap. VI & XXXII. Goldaſtus in Polit. Imp. Part. III. Diſc. III p. 271. Limnæus Loc. cit. num. 35. ſeq. & quamplurimi alii.*

quorum utrorumque Catalogum, cui volupe eſt, videat apud *Henr. Gunt. Thulemarium* (167).

Hæc curatius aliquanto penſitantem, maxima ſubit miratio, qui factum fuerit, quod inter Juris Publici Scriptores quamplurimos, & tot quoque Coronationes Imperatorum magno verborum apparatu enarrantes Hiſtoricos, plerique cum in Materia Coronæ Germanicæ definienda, tum etiam in ejus Forma deſcribenda enormiter aberraverint; quando talem ejus dare ſolent deſcriptionem, ut ea nullo modo ad *Coronam Germanicam*, quæ Noribergæ aſſervatur, quadret, verius autem ad eam, quæ paulo ante deſcriptam dedimus Romanam.

Optime igitur de bono Publico meritus eſt Cl. *Wagenſeilius*, publiceque iniit gratiam, dum Coronam hanc, quæ extra ſolennitatem Coronationis, Noribergæ pervicaci aſſervatur cura, cujus etiam, non niſi Illuſtribus Perſonis contemplandi copia datur, vivis coloribus delineatam, egregieque deſcriptam nobis reliquerit (168).

Hunc itaque tanquam ocularem fideque dignum teſtem, in deſcribenda hac Corona preſſo pede ſequemur; Eſt vero ea confecta ex puro puto auro, XIV librarum gravi pondere: Ambitus Coronæ diſtinguitur in areolas octo, deſinentes ſuperne in dimidiatam, [ut ex adſcripto hoc Typo, quem eidem Wagenſeilio debemus, ad oculum patet] rotunditatem. Harum quævis ſeparatim fuit efficta, eapropter, præter ferruminationem, etiam intus ſimplici ferreo ligamento, digitum minutum lato, quod in orbem circumductum eſt, invicem conſtringuntur. Ex



 octo

(167) *De Octoviratu cap. XXV. §. 24.* (168) *Loc. cit. pag. 233. ſeqq.*

octo illis areolis quatuor numero, gemmis & unionibus onerantur, quatuor emblemata ſeu figuras aliquas pictas referunt. Prima areola, quæ frontem Cæſarum ornat, ac cujus rei crux illi infixa indicium facit, ceteris, ſola quæ ei ex adverſa opponitur, excepta, paulo major, XII gemmas inſignis magnitudinis habet inſertas, quaterna ſerie diverſique generis, diſpoſitas. Gemmæ vero iſtæ omnes, rudes ſunt, prout natura eas efformavit, minime vero in angulos aut acumina exſculptæ [hinc errorem, qui in Typo apparet, de meliori excuſabit Benevolus Lector]. Vacua inter gemmas ſpatia ingentes, pulcherrimique uniones adimplent. Principi areolæ magnitudine reſpondet ea, quæ e regione illam in occipiti reſpicit: cæteræ humiliores non nihil deprehenduntur. Porro ea, quæ frontiſpicii areolam a dextra excipit, nobis Chriſtum Servatorem ſedentem commonſtrat, ex opere uſtili [*von geſchmeltzter Arbeit*] coloribus variegato, ad quem modum reliquæ etiam figuræ cum ſuis inſcriptionibus, exprimuntur. Utrique Salvatoris lateri adſtat Cherubinus, quatuor alis præditus, quarum duæ in altum vergunt, e quibus caput proſpectat, duæ in ima protenduntur. Superne adſcriptum:

PER ME REGES
REGNANT.

Sequitur proxime areola, gemmis ac unionibus, minoribus tamen longe quam reliquæ, nec tanta concinnitate diſtincta, quod idem & de cæteris gemmatis tenendum. Succedit rurſus areola picta, exhibens Ezechiam Regem ſedentem, ægrumque caput dextra manu ſuſtentantem. Hujus dextro lateri ſe applicuit Eſaias Propheta, ſchedam oblongam manu tenens, in qua legitur:

ECCE ADICIAM SVPER DIES TVOS XV. ANNOS

Amborum Capitibus imminent verba:

ISAIAS PROPHETA — EZECHIAS REX.

Huic

Huic contigua eſt areola occipitii majuſcula, XII. inſignibus gemmis, cum intermediis unionibus, quamvis fere inordinatim poſitis, decorata. Quæ illam excipit, Regis, Corona clauſa coronati, effigie notatur, cui ſcheda in manibus eſt, quæ inſcriptum habet:

HONOR REGIS IVDICIVM DILIGIT.

Super Capite Regis legas:

REX DAVID.

Iſti areolæ rurſus juncta eſt gemmata, & huic emblematica, in qua conſidet Rex coronatus, in ſcheda, quam utraque manu tenet, legenda exhibens verba:

TIME DOMINVM ET REGEM AMATO

Capiti illius ſuperne additur:

REX SALOMON.

Atque dehinc jam ſe offert rurſus areola frontiſpicii primaria, cui inſuper, ex Cruce haud modica, quæ ſuperne infigi, & demi iterum poteſt, dignitas & decus accedunt. Crucis pars anterior, & ipſa XVII gemmis luculentibus radiat: poſtica lævis eſt, Servatoris, quaſi in cruce patientis figuram inciſam habens, citra colorum incruſtationem, manus ſanguinem exſtillant. Crux nulla ſculpta adjicitur, cum ipſa illa, quæ imaginem Chriſti ſuſtinet, ſufficiat tanquam baſis. In apice eſt epigraphe:

I H̄ C
NAZAR
ENVS R
EXIVDE
ORVM

Præter Crucem, inſigitur amplius huic areolæ *Arcus*, ſive ſemicirculus ſinuoſus, mobilis, cujus altera extremitas, oppoſitæ areolæ occipitii inſerenda. Hic margaritis ornatus eſt, quibus phrygiano opere expreſſa cernuntur verba:

CH VON RAD VS DEI GR AT IA
RO MA NOR V̄ IM PE RA TOR AVG.

Atque

Atque talis forma & ſpecies eſt Coronæ, quæ Noribergæ cuſtoditur, Germanicæ, eadem inſuper intus mitram ex holoſerico rubro inditam habet, ut commode, & citra offenſionem ſuſtineri queat. Ex quibus tandem liquido conſtare poteſt, quam enormiter in deſcribenda hac Corona peccaverit *Limnæus* (169) & omnes ii, qui ejus auctoritatem ſunt ſecuti, dum *Germanicam* & *Romanam* Coronas adeo inter ſeſe cunfuderunt.

Ceterum quod Originem hujus Coronæ attinet, plerique Juris Publ. Scriptores *Carolo M.* eam acceptam referunt (170), *Conringius* (171) vero ex verbis illis, quæ in Circulo extant, concludere nititur, hanc Coronam illam fuiſſe, quam *Conradus*, una cum reliquis inſignibus per Eberhardum fratrem Henrico miſerit, verum, laudatus *Wagenſeilius* argumentis validiſſimis demonſtravit, Coronam iſtam omnino eſſe *Caroli M.* illam ipſam, qua *Ludovicum* coronari voluerit, idque eo, quod figura ipſius cum Corona, qualis in nummis *Caroli M.* conſpicitur, plane conveniat. *Circulum* autem Coronæ additum, in quo nomen *Conradi* reperimus, a *Conrado II.* eſſe adjectum, cui ſoli nomen Imperatoris conveniat. Alii quidem *Conradum III* aut *IV.* ſubintelligi tradunt, quorum tamen opinionem, docte non minus quam prolixe repulit, idem quem jam allegavimus, *Wagenſeilius* (172).

De *Loco*, ubi more hodie conſueto, hæc Corona aſſervatur, nihil lubet addere, cum in vulgus fere notum ſit, *Noribergam* Imperii Civitatem celeberrimam, ſingulari hoc Privilegio gaudere, cui ut Corona, ita & reliqua S. R. I. Lipſana atque Clinodia, inde a Sigismundi Imp. temporibus, fideli curæ ſunt concredita; Cujus Privilegii & honoris originem prolixius edisſerit laudatus ſæpe *Wagenſeilius* (173).

Tertia

---

(169) Loc. cit. Lib. VII. cap. 35. (170) *Vid. Limnæus Loc. cit. Spenerus Loc. cit. Knichen Loc. cit. Struvius* Loc. cit. (171) *In Caſtigatione Libelli cui Tit. Anticonringiana Defenſio Juris Colonienſis.* (172) *Loc. cit. pag. 242. ſeq.* (173) *Loc. cit. pag. 224. ſeq.*

Tertia Corona eſt LOMBARDICA de Regno Italiæ. Hac olim Imperator *Mediolani* in Lombardia Rex Italiæ declarabatur, licet ea & alibi quandoque Cæſari ſit impoſita (174). Hanc alii *ferream* (175), alii *argenteam* (176), alii denique e *paleis flaventibus* (177) contextam fuiſſe tradunt, cum tamen æque ut ſuperiores, *aurea* extiterit, ita tamen, ut exterius auro quidem & gemmis exornata fuerit, ſine florentibus tamen pinnis in ſimplicem & latum orbem circumducta, introrſus vero ferro tempora præcingente, unde & *Ferrea* dicta (178).

De Auctore hujus Coronæ & totius actus variant Auctores, quorum ſententias & argumenta prolixius expoſuit *Limnæus* (179), quo Lectorem brevitatis cauſſa remittimus. Pari ratione & de *Forma* atque *Habitudine* hujus Coronæ, nec non, an hodienum adhuc ea ſuperſit, nihil certi habeo quod dicam; interim ſi *Hieronymo Capugnano* (180) fides habenda, *Modoëtienſes ferrea* hac, ut loquitur, Corona in hunc usque diem fruuntur, ubi notari quoque meretur, quod ſubjungit, ferream illam laminam eſſe *alterum ex clavis*, quibus pependit in Cruce Salvator.

Ultimo tandem hujus materiæ loco, non poſſum non adjicere, quæ ex Judæorum grege, *Rabbi Abarbanel* (181) de tribus hactenus luſtratis Imperii Coronis nugatur, quando per κακοζηλίαν Chriſtianos a Judæis eas mutuatos eſſe ſcribit: *Ecce*, inquit, *vides, ut omnia ſua opera Chriſtiani didicerunt ex Lege noſtra, ſed miſera & imperfecta doctrina;* cui tamen ventoſo oſtentatori, pro merito reſponſum eſt a Doctiſſimo, dum viveret, *Carpzovio* (182).


 At-

(174) *Vid. Limnæus Loc. cit. Lib. II, cap. IV. num. 39. ſeq. Goldaſtus Tom. III. Conſt. Imp. pag. 37. Panvinius Loc. cit.* (175) *Vid. Muratorii Comment. de Corona Ferrea, & reliqui a Limnæo citati auctores.* (176) *Chaſſaneus Loc. cit. Schœnborn. Loc. cit.* (177) *Thyleſius de Coronis pag. 124.* (178) *Limnæus* Loc. *cit.* (179) *Loc. cit. num. 51.* (180) *In Itiner. Italiæ Franc. Schotti pag. 153. ſeq.* (181) *In Nachalath Avoth fol. 130. Col. I.* (182) *In Notis ad Schickardi Jus Reg. Cap. IV. Theor. XII. pag. 226.*

Atque ſic introducto ſemel per Imperatores Coronæ ſuperne clauſæ uſu, exemplum hoc reliqui etiam Europæ Reges, diverſis tamen temporibus, ſecuti ſunt: Licet Corona clauſa proprie ſoli Imperatori conveniat (183); unde vix dubium eſſe poteſt, quin alii Reges æmulatione Imperatorum, Coronas clauſas ſibi ſumſerint (184); Utut vero ſit, more hodierno omnes Reges clauſas uſurpare Coronas, in aprico eſt, non ſolum capiti impoſitas portando, verum etiam inſigniis adjiciendo.

In clauſarum vero Regiarum Coronarum claſſe, primum locum *Sacra, Angelica & Apoſtolica* Regni HVNGARIAE Coronæ, ex diverſis rationibus aſſignamus. Partim quod nulla ullius unquam Regis Corona antiquior, nulla magis ſit fœta myſteriorum; nulla denique ipſa Forma atque Habitudine, propius ad Imperatoriam accedat. Cum igitur ex iis rationibus ſpecialem huic Coronæ decreverimus tractationem, locum ſaltem, qui ei ob dictas prærogativas jure in hac claſſe debetur, annotaſſe hîc ſufficiat.

Hungaricæ ſtatim ſubjungimus Coronam HISPANICAM. Hæc pro more priſcorum temporum aperta fuit, usque ad *Philippum II.* qui initio apertam geſtavit, deinde vero *Henrici II.* Regis Franciæ exemplo eam clauſit, quod hactenus reliqui etiam Reges fecêre (185). In ejus vero *Forma* deſcribenda Auctores variant, ut ex deſcriptis his typis videre eſt.





In

(183) *Vid. Limneus Loc. cit. Num. 15.* (184) *Spenerus Loc. cit. §. 15. pag. 312.* (185) *Vid. Meneſtrier Verit. Art. du Blaſ. cap. XIII. pag. 154.*

In priori Coronam Hiſpaniæ videmus floribus ornatam & quatuor ſemicirculis clauſam, globo cum cruce faſtigiatam (186). Poſteriori vero modo depictam debemus celeberrimo *Chifletio* (187); qui ſequentem in modum eam nobis deſcribit: *Corona Regum Hiſpaniæ Auſtriacorum aurea eſt, emicans floſculis, gemmisque radians, ſuperne octonis ſemicirculis clauſa, ob omnes quos pervadit terreſtris ſphæra circulos, ampliſſima omnium Monarchia Hiſpanica. Globo præterea cum cruce Corona illa faſtigiata eſt, quia latiſſime patens Hiſpanicum Imperium totam circumdat terræ rotunditatem, ubique annexum Chriſtiano cœtui, ubique Catholicum.*


Hanc excipit GALLICA. Sub prima quidem ſtirpe de Regibus Franciæ & ejus gentis Principibus, Coronas non geſtaſſe, ſed ſimplices duntaxat ex auro circulos, quos caſſidi ſuperponebant, prolixius demonſtrat *Chifletius* (188). Primus vero inter Franciæ Reges *Carolus VIII.* clauſa Corona uſus eſt, non aliam ob cauſſam, quam quod ab Alexandro VI. Pontifice (189), Conſtantinopolitanus Imperator pronunciatus fuerat: ſed cum inani Titulo ſtatim evaneſceret ejusmodi Coronæ decus, eo Ludovicus XII. ſucceſſor ejus nunquam uſus eſt, donec tandem *Franciſcus I.* qui Cæſari *Carolo V.* infenſus, & Imperatoriæ Majeſtatis æmulus erat, invidiæ vexatus malo, primus Regum decus illud atque ornamentum, Regio nomine, præter jus & rationem uſurpavit, ut *Chifletius* (190) loquitur; cui tamen maſcule in contrarium ivit Doctiſſimus *Blondellus* (191).

Quicquid vero hujus ſit, illud tamen extra dubitationis a-

 leam


Spenerus Part. II. Lib, II. cap. 38. §. 41. (186) Vid. Spenerus Part. I. cap. 6. §. 18. Seldenus Loc. cit. pag 179. Caramuel Lobkovviz in Reſp. ad Manifeſtationem Regni Luſitaniæ Lib. VI. cap X. pag. 205. ex Verſ. Lat. Leandri van der Bandt. (187) In Vindiciis Hiſpan. Cap. XI. pag. 104. (188) In Anaſtaſi Regis Childer. cap. IX. pag. 134. (189) Vid. Tilletus in Chronico ad A. 1494. (190) Loc. cit. cap. XIII ſub fin. & in Nova Diſquiſ. de Ampulla Remenſi cap. XV. pag. 74. (191) Præfat. Apolog. Pag. 70. fol. 1. b.

leam poſitum eſt, modernam Regum Franciæ Coronam utique



opertam eſſe, octo ſemicirculis [ut in Typo adſcripto videre eſt] ſuperius coeuntibus, in apice lilii flore ornatis, cujus generis floribus ipſa etiam lamina circumdata conſpicitur. Licet *Chifletius* (192) hoc florum decus minime pro *liliis* agnoſcat, illorum loco *irides aquaticas* flavi coloris in ſolo cyaneo ſeu aqueo, ſubſtituens, quas e paluſtri Sicambria Franci detulerunt in Galliam, ut ſentit doctiſſimus *Fauchetus* (193); quibus tamen prolixius reſpondet *Jac. Alex. Tenneurius* (194). Interim plura qui de hac, circa Lilia Francica, inter doctiſſimos ſuperioris Seculi viros oborta Controverſia, cognoſcere avet, præter jam citatos Autores evolvat *Blondellum* (195), & imprimis *Joannem Ferrandum* (196) qui ſingulari opera de hoc argumento ſibi ſcribendum ſumſit.

Proxima eſt ANGLICA. Temporibus equidem Henrici VIII. & Eduardi aperta adhuc utebantur Corona, non quod



aliis regibus inferiores eſſent, ſed quia iis temporibus nondum invaluerat clauſarum conſuetudo (197). Modernæ Habitudo ita ſe habet, ut hic, quem ex *Seldeno* (198) deſcriptum damus, typus repræſentat. Clauſa ea, pro more hodierno, apparet, cujus circulo quatuor li-

(192) *Ad Vind. Hiſp. Lumin. Salic. Lum. II. pag. 230. ſeq.* (193) *De inſigniis.* (194 *In Verit. Vind. Part. I. Cap. XIX. Conf. & P. III. cap. X. pag. 363. ſeq.* (195) *Loc. cit. pag. XLV. fol. 1. b.* (196) *In Epinicio pro Liliis Franciæ. Lugdun. 1663. 4. Conf. Maſenius in Notis ad Brovveri Ann. Trevir. pag. 613.* (197) *Spenerus Loc. cit. Part. II. Lib. I. cap. I. §. 25. Limnaeus Tom. IV. pag. 106.* (196) *Loc. cit.*

lilii flores & totidem cruciculæ ad Melitenſium formam alternatim inſiſtunt, octo ſemicirculis ſuperius coeuntibus, quorum ſummitatem globulus cum ſimili crucicula occupat. De priſcorum in Anglia Regum variis Coronarum ſpeciebus nihil addimus, cum in recenſendis iis, prolixius navârit operam, laudatus jam *Seldenus* (299). *Scoticam* quod attinet, hanc olim *vallarem* fuiſſe nonnulli tradunt, a *Feritbaro* Rege aſſumtam, quod Pictos vallo militari expugnato vicerit (200). Unde *Hapingius* (201) refert, *Carolum M.* amicitiæ ſigno Scoticæ Coronæ vallari, quatuor lilia aurea quatuor cum crucibus, liliis tamen paulo eminentioribus, adjeciſſe, quod apud *Autorem Anonymum* (202) quoque. nec non apud *Varennium* (203) legere eſt, qui etiam perhibet, clauſam eam ad modum imperialis coronæ factam fuiſſe. Denique ipſis Scotiæ Regibus ab Anglis uſum Coronæ clauſæ in dubium vocatum eique contradictum, quod Vaſallos ſuos Scotos dicerent, allegatus a *Limnæo* (204) *Guyonus* memoriæ reliquit.

Hanc excipit LVSITANICA Portugalliæ Reges moderno Regum more clauſam habent; Sebaſtianus equidem ultimus ex priori linea Rex, ſimplicem ſive apertam tantum geſtabat, clauſarum conſuetudine adhuc minus frequenti (205). *Macedus* ad modum Gallicæ octo ſemicirculis ſive arcubus eam fulcit, ut ex hoc typo videre eſt, adverſus quem vero acriter diſſerit *Jo. Car. Lobkowiz* (206). Apud *Limnæum* (207) *Ludov. Guyonus* perhibet, Coronæ clauſæ uſu Luſitanos a



 Ca-

(199) *De Tit. Hon. Part. I. cap. VIII. pag. 179. ſeqq.* (200) *Vid. Varenn. R. d'Armor. Part. IV pag 549.* (201) *De Jure inſignium cap. XI. §. 3. num. 78.* (202) *D. T. V. V. Eſtats, Emp. & Princip. du Monde pag. 1457.* (203) *Loc. cit pag. 527.* (204) *Loc. cit.* (205) *Spenerus Loc. cit.* (206) *Loc. cit.* (207) *Loc. cit.*

Caſtellanis prohibitos, quod Vaſallos ſuos eſſe voluerint, ſed nihilominus contra Caſtellanorum voluntatem eos uſos eſſe. *Joannes* equidem *Birago* (218) mentionem Coronæ illius qua Alphonſus Rex Portugalliæ A. 1152. coronatus eſt, injicit, eamque auream multisque margaritis ornatam fuiſſe tradit, commemorans eam a Regibus Gothicis conflatam, Monaſterioque di Lautbano donatam eſſe, de forma vero ejus nihil plane addit. Pari ratione & *Lib. III.* Cæremonias Coronationis *Joannis Bragenſis* deſcribit, qualis vero illius Coronæ habitudo fuerit, ſicco, ut ajunt, pertranſit pede.

Miſſis itaque Occidentis partibus, verſus Septentrionem ſtilum convertimus. Ubi primo nobis obvenit Corona DANICA. Utitur Daniæ Rex, ex more hodiernorum Regum univerſali, clauſa Corona, arcubus ac reliquis Coronarum decoramentis pretioſis exornata, hoc ſolum ab aliis diſcrime, quod interius mitra ex rubro holoſerico ſit ſuffulta. Damus Lectori curioſo ejus typum, prout ea *Fridericus III.* Daniæ Rex in *Theatro Europæo* (209) exornatus conſpicitur, nosque ipſi Hafniæ ante biennium in quadam hujus Regis effigie obſervavimus.




Quod ſi vero Nummorum apud *Oligerium Jacobeum* (210) ratio ſit habenda, alia utique Coronæ Danicæ adſcribenda erit forma atque figura; Nihil de Corona Regia ejusque habitudine habet *Wormius* (211) nihil item *Torffæus* (212) aliique recentiores, quos legere nobis licuit, unde nec magis certiora hac de re in medium posſumus proferre. Reclamat quidem *Guyonus* (213), cui & *Limnæ-*

us

(208) *In Hiſt Regni Portugal. Lib. I pag. 19.* (209) *Tom. VI. pag. 494.* (210) *In Muſeo Regio circa finem.* (211) *In Monumentis Danicis.* (212) *In Antiquitatibus Danicis.* (213) *Tom. 2. de diverſ.* Leçons. *Lib. II. cap. 26.*

us (214) adſtipulatur, Regique Daniæ ex eo fundamento Coronam clauſam abjudicant, quod ratione Holſatiæ & Comitatus Oldenburgici, ſit Imperii Vaſallus, quorum tamen abſurdam opinionem doctiſſime refellit laudatus ſæpe *Spenerus* (215). De Corona Regni *Norvegiæ* videatur *Hamelmannus* (216).

Hanc SVECICA excipit. Olim quidem in Suecica Diademata vel Faſciæ candidi aut purpurei coloris, ex priſco more capitibus Regum circumligari ſueverunt. Hodie vero Corona eaque clauſa in uſu eſt, ex auro puro & lucido facta, lapillis aërei coloris diſtincta & ornata fulgens (217). Ejus Figuram & Habitudinem ea forma hic exprimi curavimus, prout eam una cum reliquis Regni Suedici Inſignibus Regiis, delineatam nobis dedit, celeberrimus *Pufendorffius* (218).



Ex Suecia in vicinam POLONIAM transjicimus. Utitur Rex Poloniæ ex more hodierno, æque ut alii Reges qui ſuperiorem non agnoſcunt, clauſa Corona, & quidem aurea, gemmis lapidibusque pretioſis concinne affabreque ornata (219). Quod ſi Polonicarum Rerum Scriptores, iique præſertim qui Ceremonias Electionis & Coronationis deſcripſerunt, Regiæ Majeſtatis inſignes notitiam nobis dediſſent, magis certiora Lectori dare poſſemus.



Huic

(214) Lib. II. cap IV. Num. 16. ſeq. & Lib. VI. cap. VI. Num. 99. (215) Loc. cit. Lib. III. cap. 12. §. 19. (216) In Chron. Oldenburg. pag. 199. (217) Vid. Loccenius in Antiq. Suec. Lib. II. cap. 1. (218) In Hiſt. Caroli Guſtavi Suec. Regis Lib. IV. pag. 328. (219) Guagninus Deſcr. Pol. p. m. 333.

Huic ſubjungimus BOHEMICAM. *Limnæus* (220) quidem ut Daniæ, ita & Poloniæ Regi, clauſam Coronam abjudicat, id quod in tantum veritati eſt conforme, ſi de priſcis Bohemiæ Regibns ſermo ſit. Nos hoc loco Coronæ Bohemicæ Figuram exſculpi curavimus, prout ea *Wenceslaus* aliique Reges apud *Balbinum* (221) exornati conſpiciuntur, quamve idem Auctor ſequentem in modum deſcribit. Erat hæc Corona ex auro, argento & gemmis clariſſimis ſumma arte perfecta, ut magnificentiam videas octoginta argenti, duodecim talenta auri, ut gemmæ taceantur, ea corona continebat. Quæ dein mortuo Wenceslao, ſuper ejus Mauſolæum in Eccleſia Wiſchradenſi, quam Wenceslaus fundaverat, ſuſpenſa fuit, ut ex tholo Templi dependeret (222). Ex quo tamen dubitare quis poſſet, an ea quæ ad tholum ſuſpenſa fuit, eadem cum Regia fuerit.



Huic ob affinitatem annectimus Coronam *Rudolphi* Imperatoris ut vocant, *Domeſticam*; Facta ea eſt ex puro auro in quo plurimi uniones cum gemmis concertant mirabili prorſus lucis hilaritate. Præcipuus unio eſt pyri muſcatellini magnitudine, qui velut regnator omnibus ſeu gemmis ſeu unionibus quodammodo ſilentium imponit, emtus eſt unus ille unio triginta millibus aureorum, ipſa vero Corona integra, aliquot centena aureorum millia conſtat (223).

Agmen Coronarum Regiarum claudit Corona BORVSSICA, ut recentiſſima ita & noviſſima. Originem ſuam debet

---

(220 Loc. cit. (221) In Epitome Rer. Boh. Lib. III. cap. 8. Conf. Miſcell. Hiſt. Lib. III. Sect. I. cap. X. §. VI. & Lib. VII. Sect. I. cap. 22. (222) Balbinus Loc. cit. (223) Anſelmus de Boot de Gemmis in Præfat. ad Rudolphum Imp. Conf. Balbinus in Miſcell. Lib. I. cap. XXXV. p. 86. ſeq.

bet moderno Boruſſorum Regi *Friderico I.* qui novo ſub auſpiciis hujus ſeculi exemplo, Regiam adeptus eſt dignitatem. Eſt illa ex auro puro confecta. Cujus uti totum ambitum, ita etiam ſegmenta ſphærica ſibi invicem ſuperiori parte innexa, adamantes pretioſiſſimi, arctiſſime coagmentati, ſuo fulgore ita diſtinguunt, ut non tam diſtinctæ gemmæ, quam unus ſol



diverſam lucem, diverſosque radios ſpargens videatur (224). Placet eam verbis Magiſtri Cæremoniarum Regii, *Dn. de Beſſer* (225) deſcriptam dare: *Dieſe Cron iſt gleich dem Scepter von purem Golde, aber nicht wie gewöhnlich mit Laub-werck, ſondern von lauter dicht aneinander gefügten Diamanten: Die auf denen geſchloſſenen Bügeln und dem gantzen Umkreiſe, wie aus einem Stück zuſammen gegoſſen, und nicht anders, denn durch den Unterſcheid ihrer Gröſſe getheilet zu ſeyn ſcheinen: Da einige zu 80. 90. und 100. Gran, ja einige Brillanten gar zu 130. am Gewicht halten, und folgends auch mit unterſchiedenem Feuer in das Geſichte fallen.*

Atque hæc de Inſignibus Regiæ Dignitatis atque Majeſtatis ſufficiant. Si vero conficiendum mihi eſt ſpatium, quod decurro, conſequens eſt, ut eorum quoque capitis inſignia deſcribam, qui licet careant Regio nomine, eo tamen ſublimitatis & poteſtatis eminent gradu atque faſtigio, ut eorum dignitas proxime ad Majeſtatem Regiam accedere videatur. Sit igitur

Aa SECTIO

(224) *Vid. Diet. Herm. Kemmerich in Diſſ. de Corona Boruſſiæ Sect. I. §. 3.* (225) *In der Preuſſiſchen Krönungs-Geſchichte pag. 24. quam illuſtris Auctor Regis juſſu conſcripſit.*

SECTIO III.

DE ALIARVM SVMMARVM POTESTATVM CAPITIS INSIGNIBVS.

Magni Moſcorum Ducis Capitis Inſigne quale? De Pileo Archi-Ducali Auſtriæ diſcurſus, cujus Origo, Materia & Forma expenditur. Sacri Romani Imperii Electorum Pileus qualis? Venetorum Ducis Capitis inſigne quare Cornu dicatur? Genuenſium Dux peculiari ab aliis utitur Pileo.


Primum in hac claſſe locum occupat, Pileus coronatus MAGNI MOSCORVM DVCIS, quem *Auguſtinus L. B. de Meyerberg*, Regiæ Majeſtatis Suecicæ ad aulam Ruſſicam A. 1661. Legatus, ſequenti modo deſcribit: *Pileus Zaaris turbinatus erat, Zebellino margine ornatus, corona aurea pretioſiſſimis gemmis interſtincta, quæ quaſi Zebellinis innitebatur ſpoliis, in ſummitate verticis in crucem deſinens* (226). *Olearius* (227) vero paullo clarius ita: *Die Crone ſo der Gros-Fürſt in Moſcau getragen, war über einer ſchwartzen Zobeln Mütze, ut mit Diamanten verſetzet.* Figuram ejus Lectori damus, quæ in frontiſpicio Libelli: *Staat von Moſcau*, conſpicitur, illique Deſcriptioni, quam Auctor quidam *Anonymus* (228) nobis dedit, proxime admodum accedit, quando Coronationis Cæremonias deſcribens ita fatur: *Auf dem vierten Stuhl lagen die beyde Cza-*



(226) *In Itinere Moſcovitico pag. 34.* (227) *In Itiner. Perſ. Lib. I. cap. VII. pag 33. Conf. Sigiſmundus Baro ab Herberſt in in Comment. rerum Moſcov.* (228) *Im Leben und Thaten Peter Alexievviz Part. II. pag. 23.*

Czaariſchen Müzen, mit koſtbahrſten Edelgeſteinen und groſſen Perlen beſetzet, und oben mit einer Quaſten, an welcher ein mit Diamanten verſetztes güldenes Kröngen hienge.

Hunc ordine tractationis ſolum, non vero dignitate excipit *Pileus* ARCHIDVCALIS AVSTRIAE, rubei coloris, ora reducta pontici muris vellere farta, radiisque [ut ex adpoſito ſchemate videre eſt] ornatus, & circulis in ſuperiori parte coeuntibus, crucicula etiam illis impoſita. *Chifletius* ita enunciat: Pileus coccineus vellere pontico ſeptenis acuminibus cochleatim reductus. Primo equidem pileus ille vulgaris fuit, ſine ornamentis, ut aliorum Principum, ſucceſſu vero temporum paulatim immutatus.



Radios quidem ſeu ſertum pinnatum aureum adjecit *Fridericus Barbaroſſa*, cum A. 1156. *Henricum* Ducem crearet, in Diplomate vocatur: *Pileus Ducalis circumdatus ſerto pinnito* (229). *Fuggerus* (230) reddit: *Einen Fürſten-Huth mit goldenen Spitzen, von den Alten Corona Roſtrata genand.* *Cuſpinianus* (231) vero *Pileum Ducalem crinitum* appellat. Deinde A. 1228. *Henricus* Rex Romanorum *Leopoldi* Ducis pileum *Regali Corona* auxit: ita enim verba Diplomatis ſonant: *Eidem Illuſtriſſimo Principi Leopoldo, Duci Auſtriæ, Styriæ, cunctisque ſequacibus hanc largiter concedimus dignitatem, ut ſui Principatus Pileo, noſtræ* Regalis Coronæ Diadema *ſolenniter ferre poſſit* (232). Denique cum *Fridericus II.* Imperator, *Fridericum*


Cujus Libri auctorem Dn. a Lilien eſſe, compertum eſt. (229) *Vid. Caroli V. Privileg. Auſtr. Archid. data* §. *V. & VII. Cuſpinianus in Deſcript. Auſtriæ pag. 34. ſeq. & ex illo Limnæus Lib. V. cap. 2. num. 29. Spenerus Part. II. Lib. I. cap. 9.* §. *73. & Lib. II. cap. 2. pag. 168. Fugger im Oeſter. Spiegel der Ehren Lib. II. cap. 3. pag. 183. Monzambano cap. II. n. IV. Pacificus a Lapide Diſſ. IIX. num. IV.* (230) *Loc. cit. cap. 2. pag. 168.* (231) *Loc. cit. pag. 34.* (232) *Vide Auctores jam citatos.*

cum Bœmorum A. 1245. Regem feciſſet, circulis ſuperne coeuntibus, *Crucicula* quoque fuit ſuperaddita. Verba Diplomatis ita habent: *Concedimus etiam noſtro illuſtri Principi ac Duci Auſtriæ*, Crucem *noſtri Diadematis ſuo Principali pileo ſufferendam; Daſs Er und ſeine Nachkommen auf dem Fürſtenhuth über gedachte Spitze und Bögen auch zu oberſt das golden Creutzlein tragen und führen ſoll* (233). Alii (234) aliam hujus Pilei tradunt Figuram, quæ tamen ex hactenus dictis facili negotio refelli poſſunt.

Cæterum in hunc Archiducalem pileum iſta paſſim extant diſticha:

Auſtria Regis opes habet, ac Regalia ſerta;
Regia & Auſtriacos mens regit Archiduces.
Quodque aberat nomen Regis; tria Regna dedêre:
Auſtria cuncta ſimul regia, dives habet (235).

Archiducali proxime accedit ELECTORALIS, cujus



Habitudinem hoc, quod vides ſchema, demonſtrat. De ejus conditione *Mameranus* ita (236): *Pileus Electorum Secularium eſt largus fluxusque, ex albis Pellibus* (237) *Hermelinorum ſeu murium Ponticorum ſubditus eſt, cum largo in ambientem limbum reflexamento, pilos earum pellium foras verſos habente, Apexque illi ſuperne in ipſo vertice ex particula earum pellium cauda eſt. Eodemque modo, quo ipſa veſtis & habitus Electoralis holoſericus eſt ex byſſorum ſeu villoſa purpura, ita in materia contextu & pileus ab ea, non differt.* A quo Pileus Electorum *Eccleſiaſticorum*, quo in ſolenni curia utuntur, eo tantum differt, quod


(233) *Conf. Auctores allegatos & adde Becmannum in Notitia Dign. Illuſtr. Differt. VII. cap. 3. §. 1. Seldenum Loc. cit. P. II. cap. 1. §. 30.* (234) *Vid. Seldenum Loc. cit.* (235) *Ex Spenero Loc. cit.* (236) *Loc. ſupra cit.* (237) *Vid. Paſchalius Lib. IX. cap. 23. ſeq.*

quod ex *panno* rubro, vulgo *Scharlach*, æque ut reliquus Electoralis veſtitus conſtet, (238). Quo vero tempore Hermelinæ pelles primum in Germania innotuerint, atque inter res ſummi pretii in aulas Principum eſſe cœperint, nihil certi poteſt affirmari (239).

Relicta Germania trans alpes in Italiam tendimus, ubi curioſitati noſtræ perluſtranda ſeſe ſiſtit Corona MAGNI DVCIS HETRVRIAE, Italis *Gran Duca di Toſcana*, dicti. Cœpit Titulus iſte in *Coſmo Mediceo* Florentiæ Duce, per Pontificem *Pium V.* Anno 1569. in iſtam dignitatem evecto, quem Regali etiam Corona centum & viginti ſcutatorum millium pretioſa, donavit, cui hæc inſerta fuêre verba: *Pius V. Pont. Max. ob eximiam dilectionem, & Catholicæ Religionis zelum, præcipuumque juſtitiæ ſtudium donavit* (240). Verba Diplomatis apud *Seldenum* (241) [ubi integram Bullam & inaugurationis cæremonias lege] ita ſonant: *Ut majoritas appareat dignitatis, ipſum Coſmum Magnum Ducem, & ejus Succeſſores hujusmodi Regali Corona, ut inferius depingi curavimus, qua ſuper eorum gentilibus inſignibus, ad illuſtrius nobiliusque ipſorum decus & ornamentum, uti, eamque portare, ferre & geſtare, depingique & inſculpi facere libere & licite poſſint & valeant, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus decoramus, exornamus, & inſignimus* &c.

Figuram ejus, hac, quæ ſequitur, forma, ex *Spenero* (242) ex-

(238) *Vid. Limnæus in Add. ad Lib. IV. Cap. VII. num. 23. pag. 428. ſeq. Conf. Sprengerus Luc. Imp. Cap. II. pag 96.* (239) *Vid. Jo Petri Ludewig Formula Ducatus Brandenburgici §. 9 pag. 79. not. c.* (240) *Vid. Thuanus Lib. XLVI. pag. m. 781. Autor Libri des Eſtats, Emp. & Principautés du Monde, in Deſcript. Status Florentini, circa fin. Limnæus Lib. I. cap. IX. num. 48. & in Additam. ad Lib. IV. cap. III num. 27. Seldenus Loc. cit. pag. 94 ſeqq.* (24) *Loc. cit. pag. 98.* (242) *Op. Herald P. I. Lib. I. cap. LXII. §. 6. Vid. Meneſtrier Verit. Art. du Blaſ. pag 196. ſeq.*



exſculpi fecimus, quam ita deſcribit: *Differt hæc Corona fere ab omnibus aliis, quæ Duos majores expanſos lilii flores, & plura minora lilia radiis interpoſita ſuſtinet.* Quod ſi vero Cl. *Seldenus* (243) ſit audiendus, dicendum utique erit, Coronam hîc memoratam, per totum eſſe radiatam vel cuſpitatam, cum uno ſaltem lilio fronte ejus infixo, cujus etiam ſchema dicto loco inſeruit. Ceterum de Conrroverſia, quæ inter Imperatorem Maximilianum II. & Pontificem Romanum ex conatu iſto Pontificis, oborta fuit, *Thuanus* & poſt eum *Limnæus*, locis citt. prolixius nos edocent.

Proxime hanc excipit *Mitra* DVCIS VENETORVM, quem *Noldenus* citante *Limnæo* (244) deſcribit, quod ſit in pompa tantum Princeps, in curia Senator, in urbe captivus, extra urbem reus, peregrinari enim ſine venia non poteſt. De ejus




capitis inſigni, quod ipſis Venetis *il Corno* dicitur, *Gaſp. Contarenus* (245) ita: *Capite geſtat velamen linteum pro Regio Diademate: id ſupra geſtat Capitium purpureum, limbo aureo ornatum, cujus pars quæ occiput tegit, in cornu formam aſſurgit.* *Schottus* (246) vero accuratius paulo ita: *Spectatur etiam Venetiis in Sacrario D. Marci Mitra ſolennis, quæ novi Ducis capiti cum inauguratur, ſolet imponi: quamque feſtis majori-*

---

(243) *Loc. cit. pag. 99.* (244) *Lib. IV. cap, 3. num. 16.* (245) *De Magiſtratibus & Republ. Venetorum* Lib. *II. pag. 22.* (246) *In Itiner. Ital. pag. 41. ſeq. Conf. Pet. Juſtinianus Hiſt. Rer. Venet. Lib. V. Thuldenus ad A. 1656 p. 245. Paſchalius Lib. X. cap. 5. Miſſon Voyage d'Italie Tom. I. pag. 167.*

joribus in publicum prodiens geſtat. Eſt autem valde conſpicua limbis, & clavis aureis gemmisque nobilisſimis plena, habens in apice pretii ineſtimabilis carbunculum. Quibus addere lubet, quæ *Bernhardus Zechius* (247) de hac Mitra ſpecialiter tradit: *Auf dem Haupt hat Er eine ſonderbahre Crone il Corno genand, weil ſie etwas ſcharff und gedrehet iſt, wie ein Horn, iſt rund herum mit einer Reihe fürtreflichen Perlen beſetzet, da iede ſo gros als eine Haſelnuſs, mit einem groſſen Rubin vornan, 100000. Cronen werth, und einem von den ſchönſten Diamanten in Europa, oben drauf.* Quo vero Auctore *Hübnerus* (148) adſtruat, uſum hujus Cornu A. 1559. primum introductum fuiſſe, vellem nos edocuiſſet.

Ultimo tandem loco reponimus Mitram DVCIS GENVENSIVM, eo, quod ut Auctoritate ita & Dignitate longe ſit inferior quam Venetorum. Imperium enim per duos tantum annos tenet, nec niſi duobus ab initio Magiſtratus diebus, Ducalibus utitur veſtibus & ornamentis, toto vero reliquo tempore deinceps privati in modum veſtitur (249). De cujus Capitis Inſigni *Miſſonius* (250), cui & adjectum Typum referimus acceptum, ita: *Nous avons vû le Senat en Corps & en ceremonie, a la Proceſſion de la Feſte-Dieu. Le Doge avoit une robe cramoiſi, avec une maniere de bonnet carré:* & poſt quædam interjecta: *Le Doge de Gênes n'a pas plus de pouvoir que celuy de Veniſe, cependant ce premier eſt couronné d'une couronne Royale d'or, & on luy met un ſceptre a la main. C'eſt*



a can-

(247) *Im Europ. Herold. pag. 889.* (248) *Tom. III. Qu. Hiſtor pag. 642.* (249) *Vid. Becmannus Loc. cit. Diſ. VII. cap. 2. §. 2. Adde Limnæum Loc. cit. Num. 20.* (250) *Loc. cit. Tom. II. pag. 236.*

a cauſe du Royaume de Corſe, dont ils ſont actuellement poſſeſſeurs; Qualiter vero ea ſe habeat nihil addit.

Atque hæc de *Mundanorum Faſtigiorum* Capitis Inſignibus ſufficiant. Quod ſi vero ea, quam exorſi ſumus, tela, pleniſſime ſit pertexenda, reſtat ut *Sacrarum* ſeu *Eccleſiaſticarum* quoque *Perſonarum* ampliſſimæ dignitatis inſignia ſub conſiderationem noſtram revocemus. Hoc igitur conſilio ſequitur nunc

SECTIO IV.

DE

PERSONARVM ECCLESIASTICARVM CAPITIS INSIGNIBVS,

& quidem

CAPVT I.

DE

MITRA SEV CORONA PONTIFICIS HEBRAEORVM

Ratio Ordinis & Connexionis. Pontificis Maximi Ebræorum varia corporis veſtimenta. De Capitis Inſigni variæ Doctorum ſententiæ. Nos tres potiſſimas Doctorum deſcriptiones hujus Tegminis, una cum Iconibus in medium proferimus, relicto penes Lectorem arbitrio, cui adſtipulari velit ſententiæ.

IN Claſſe *Sacrarum* ſeu *Eccleſiaſticarum Perſonarum* Capitis Inſignium, a Tegumento *Pontificis Summi apud Ebræos* Sacro, initum ſumere placet, eo quod inter homines ſummis parem

ipſe

ipſe Deus conſtituerat. Unde *Philo* (1): *Quantiſper*, inquit, *Sacerdos bonore ſuo & munere fungitur, non ſolum privatis hominibus eſt eminentior, ſed etiam cunctis regibus.* Ut vero eo magis venerabilior fieret, confecta in eum finem varia veſtimentorum genera fuiſſe, luculenter Sacri Codicis teſtatur pagina (2), quo ille non minus oneratus quam ornatus videri poterat, quotiescunque ſacris operabatur.


Sed univerſas ejus partes perſtringere, non eſt noſtri inſtituti, igitur eam ſaltim intuebimur partem, qua caput ejus tectum atque exornatum fuit. Ita vero de hac ad Moſen DEVS (3): *Præterea facies bracteam, aurum purum: & ſculpes ſuper eam ſculpturas ſigilli; Sanctitas JEHOVAE. Pones autem eam ſuper filum byacintbini, ut ſit ſuper cidari; e regione cidaris erit. Ut ſit ſuper fronte Aharonis.*

In cujus loci interpretatione Philologi adeo inter ſe variant, inque diverſas rapiuntur ſententias, ut innanis certe & ſuperfluus labor foret, prolixius eas in medium ferre, aut inter ſe conciliare velle. Plura interim qui deſiderat, eos adeat Auctores, qui materiam iſtam ſingulari cura pertractandam ſibi ſumſerunt, quales inter alios, præcipui ſunt: *Jacobus Altingius* (4), *Joannes Braunius* (5), *Joannes Lundius* (6), *Joannes Friſchmutb* (7), *Anſelmus Solerius* &c.

Nos tres potiſſimas Tiaræ Pontificis deſcriptiones, una cum Iconibus & Figuris hoc loco adjiciemus, relicto penes Lectorem arbitrio, cui ſuum addere voluerit calculum.

Priori hac, quæ ſequitur, forma, *Ioſepbus* (9) eam nobis de-

(1) *De Vita Moſis Lib. III. pag. 519.* (2) *Exodi XXVIII.* (3) *Exodi Loc. cit. v. 36. 37. 38.* (4) *Oratione de Mitra Sacerdotis Summi.* (5) *De veſtitu Sacerdotum Hebræorum* Lib. *II. cap. 4. 21. 22.* (6) *In alten Iudiſchen Heiligthumen Lib. III. cap. 4.* (7) *Diſſert. de Pontificum Ebræorum veſtitu Sacro.* (8) *De Pileo Sect. XII.* (9) *Antiq. Jud. Lib. II. cap. 8.*



deſcribit: Super caput, inquit, geſtat Pontifex pileum, non faſtigiatum neque totum caput comprehendentem, ſed paulo plusquam medium. Hoc vocatur *Maſna emphthes* (10). Eſt autem tali paratu, ut videatur vitta linea ſæpe in orbem replicata & conſuta, quam ſuperne alia tela integit, usque ad frontem deſcendens, & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans. Hic adaptatur accurate, ne inter ſacrificandum delabantur. Et poſt quædam interjecta: Super pileum illum extabat alius conſutilis, ex hyacintho variatus. Hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos vocatur *daccharus*, apud Græcorum herbarios *hyoſcyamus*. Ejusmodi Corona, ab occipitio circum tempora utraque, procedebat: nam frontem iſti calyculi non ambiebant; ſed ceu lorum quoddam latum aureum, quod ſacris characteribus Dei nomen inciſum habebat. Atque ſecundum hanc deſcriptionem, effictum dederunt, hoc quod hîc inſerimus ſchema *Vilallpandus* (11) & ex eo *Friſius* (12), nec non *Arnoldus Andillenſis* (13). Quos vero una cum eorum Figura prolixe refellit *Braunius* (14).

Aliam inter recentiores tegminis hujus ſacri Deſcriptionem dant *Altingius* (15), & qui ejus veſtigia preſſo ſequitur pede, *Braunius* (16). Iſti enim τὸ מצנפת *Miznephet* h. e. *Tiaram* ſeu *Pileum* & ציץ *Zitz* h. e. *Coronam* ſeu *auream laminam*, tan-

(10) *Corrupte Codex Joſephi, non Latinus modo, ſed & Græcus vocem Hebræam Cidaris Sacerdotalis, ait eſſe Maſna emphthes cum legendum ſit Maſnephthes vel Miſnephthes, ut recte advertit Ribera Zach. III. n. 14. vid. Solerius Loc. cit.* (11) *Explan. in Ezech. Cap. XLIII. Tom. II. Part. II. cap. 58. pag. 359.* (12) *Apud Solerium Loc. cit. Edit. Amſtelod. in 12.* (13) *In verſione Gallica Joſephi.* (14) *Loc. cit. cap. XXII. §. 10. ſeq.* (15) *Loc. cit.* (16) *Loc. cit.*

tanquam diverſas veſtitus ſacri partes, ab invicem ſejungunt, ut ex adſcripta hac Figura apparet. Prior illa pars quæ Turcarum Turbantis refert formam, מצנפת ſignat; Fuitque nihil aliud, quam tela linea, tenuis, munda, candidaque, longitudine XVI. cubitorum; hæc ſæpius circa tempora obvoluta Sacerdotis ambibat caput, in occipitio vittis & ligaturis per multas plicaturas conſtricta.




Τὸ ציץ vero ſive נזר, quod *Ioſephus ςέφανον χρυσοῦν*, *Vulgatus* Laminam, LXX. Int. *πέταλον* vocant, ex puro auro fuit confectum, cujus Figuram in hoc Schemate ſub Tiara expreſſam dedimus. Hæc Sacra Lamina ex præſcripto divino ſuper frontem Aaronis erat collocanda, ut anteriorem capitis partem cingeret, ab una ipſius aure ad alteram deducta. Quod ut commode fieri poſſet, quia totum caput non ambibat, hyacinthina tænia utrique extremitati eapropter perforatæ, fuit alligata, quo in regione cervicis poſſet adſtringi atque alligari: Imo addita quoque ejusdem coloris tænia alia, innexa mediæ laminæ qua verticem ſpectat, cujus ope Tiaræ, per illius mediam ſummitatem usque ad cervicem deducta, ita jungebatur, ut a fronte Pontificis moveri nequiret. Porro in medio hujus Laminæ inſculptæ erant duæ hæ voces קדש ליהוה SANCTITAS JEHOVAE, ab utraque parte calyculi hyoſciami triplici ordine poſiti, Laminam exornabant.

Tertia, quam hic apponere lubet, ſententia, eſt *Joannis Lundii* (17), qui ſequentem in modum Mitram Sacerdotis Summi apud Ebræos deſcribit: *Den Huth hatte der hohe* Prie*ſter mit andern* Prieſtern *gemein, indeme er von jenem nicht weit unterſchieden war, nur daſs er etwas höher war. Es war aber nicht*

(17) *Loc. cit.*

nicht ein Huth, wie wir heute tragen, ſondern eine Binde, vvie noch heute der Türcken ihr Turbant gemacht iſt. Er vvar von ſechsdrätigtem, ſchönſten, ſubtileſten, weiſſeſten Egyptiſchen Leinwand oder שש, in lange Stücke gemacht, deren iegliche 16. Ellen lang waren. Dieſe vvurden um den Kopff herum gevvunden, und zvvar nicht zugeſpitzt, ſondern in einer gleichſam rundlichen Form. Der Kopff vvard nicht gantz, ſondern ein vvenig mehr als halb durch dieſe Binde eingefaſt. Damit aber die Flechten, oder vvas ſonſt ungeſtalt vvar, nicht geſehen vvürde, ſo vvard der Bund mit einem gar ſubtilen Leinvvand überzogen, ſo bis an die Stirne herunter ging. Hinten an dem Kopf vvard er zuſammen gebunden, daſs er feſt ſeſſe und nicht abfiel. Vorn über die Stirne hatte der Hohe Prieſter über dieſen Haupt-Bund ein Stirnblat von feineſtem klareſtem Golde, ſo nicht, vvie es insgemein gemahlet vvird, vvie ein halber Mond vvar, ſondern herum nach den Ohren zu gieng, und zvvey Finger breit vvar, vvie die Hebraer dieſe Maaſſe ſetzen (18). In dis Stirnblat vvar die Heiligkeit des Herrn קדש ליהוה eingegraben. Von dannen vvaren vveiter hinten umvverts um den Kopf drey Reihen güldene Knöpffe, ſo vvie die Knöpffe des Bieſenkrauts gemacht vvaren, daſs alſo von vorn zu



das Stirnblat bis an die Ohren, von den Ohren an hintervverts dieſe drey Reihen güldene Knöpffe, und alſo eine runde güldene Krone um den Kopff herum vvar, da denn vermuthlich, daſs das Hintertheil, der drey Reihen Knöpffe, am Stirnblat feſt gevveſen. Wie aber iſt dieſe Krone auf dem Bund befeſtiget vvorden? Etliche Scribenten machen Bänder daran, die um den Huth rund herum und mitten oben über gehen. Allein glaublicher iſt, vvas Ioſephus (19) mel-

(18) Sheringham ad Joma cap. VII. Sect. 5. Wagenſeil. Miſchna Sota Cap. VII. Sect. 6. not. 5. Buxtorff. Lex. Talm. in ציץ & Lex. Hebr. in הוה pag. 161. (19) Loc. cit. cap. 8.

meldet, daſs oben auf dem Bund des Hohen Prieſters ein ſchön Himmelblau Mützgen geweſen, an welchem ohn zweiffel die güldene Krone, *unten herum feſt gewesen, daſs ſie rund um die blaue Mütze gegangen, alſo daſs die blaue Mütze binnen der Krone geweſen, und mit der Krone oben auf oder über dem weiſſen Bund herüber geſſetzet worden. Man ſehe was Philo* (20) *und die Schrifft* (21) *hievon deutlich ſaget.*

Atque ex hactenus dictis facile eſt colligere, quam maximæ, omnis hæc de Tegmine Sacerdotis Summi controverſia, obnoxia ſit incertitudini. Poſſent fateor, nunc porro aliæ etiam, circa hanc materiam in medium vocari quæſtiones, quæ Criticorum vexare ſolent ingenia, ſcilicet: *Quo ordine duæ illæ voces* קדש ליהוה *in lamina ſcripta fuerint?* utrum ſcilicet una, an vero duabus lineis? Porro, *an literæ illæ inciſæ & inſculptæ fuerint?* aut potius, ut nonnulli autumant, *protuberantes extiterint?* quod Germani vocant: *Getriebene Arbeit.* Denique: *an literis illis puncta etiam vocalia adſcripta fuerint?* Sed cum quæſtiones hæcce, partim nullius ſint momenti, partim etiam abſurdis nitantur conjecturis, ſuperſtitioſisque commentis Rabbinorum, miſſas eas merito facimus, ad ea potius properantes, quæ in hac Claſſe dicenda adhuc reſtant. Interim, qui harum rerum deſiderio tenetur, evolvere inter alios poteſt, *Altingium* (22), *Braunium* (23) & quem ultimo loco nominavimus, *Joannem Lundium* (24) quibus e re fuit viſum, iſta etiam pertractare. Pergimus itaque ad

CAPVT II.

DE CORONA TRIPLICI PONTIFICIS ROMANI.

Ratio Connexionis. De Origine Coronæ Pontificialis variæ Doctorum ſen-

(20) *Loc. cit. pag. 519. Lyra ad Exod. XXVIII* (21) *Exod. XXVIII, 37.* (22) *Loc. cit. pag. 378.* (23) *Loc. cit. §. XIII. ſeq.* (24) *Loc. cit. §. 7.*

tentiæ. Ejus Nomenclatura, Materia, Forma & Uſus expenduntur. An vox Μυςήϱιον ei ſit inſcripta? in quæſtionem vocatur.

Tiaræ Sacerdotis Summi apud Ebræos, ſubjungimus Coronam modernam Pontificis Romani, eo quod ex mente nonnullorum (25), Pontificia Cidaris Hebræorum, non obſcuram prætulerit imaginem Cidaris ſeu Coronæ Pontificiæ Chriſtianæ. Unde & veriſimile videtur ex Tiaræ illius τϱιςοιχία, Coronam triplicem Pontificum Romanorum fuiſſe fabricatam (26).



Continet enim Pontificium hoc inſigne, ut ex adſcripto hoc ſchemate cognoſci poteſt, ſupra ſimplicem Epiſcoporum inferiorem mithram ſericam candidi coloris, triplicem Coronam ex auro pretioſam, unionibus & gemmis varii coloris, corruſcantibus nitentem; habet & infulas ſacerdotales, quæ utrinque dependent e Corona; Hanc pretio ſuo omnem æſtimationis rationem ſuperare *Pontanus* (27) exiſtimat.

Utut vero ſit, nos hæcce talia aliis diſcutienda relinquimus, ſolliciti potius de prima ejus *Origine & Antiquitate*. Primis equidem Epiſcopis Romanis, ſimplex mitra Epiſcopalis linea, obtegendo ipſorum capiti per longa tempora in uſu fuit, neque alio capitis redimiculo Papæ, usque ad *Sylveſtrum I.* apud *Sebaſt. Borghi* (28) conſpiciuntur depicti. Subſecutis vero temporibus, ubi luxus, excuſſa penitus antiqua ſimplicitate, Eccleſiam quoque invaderet, loco ſtolæ lineæ, pretioſum pallium introductum, & ex mitra ſimplici, corona aurea triplex facta fuit.

Quis vero Pontificum primus, auream Coronam adhibue-

(25) *Vid. Solerius* Loc. cit. *Sect. XIII.* (26) *Altingius Loc. cit. pag. 806.* (27) *Bell. Att. Part. III. Hiſt. 45.* (28) *In Chronologia Eccleſiaſtica ſeu Vitis Pontif. Rom. Bononiæ 1670. 8.*

buerit, rituḿque Coronationis introduxerit, non una omnium ſententia. Alii (29) hoc ornamenti genus a *Conſtantino M.* originem duxiſſe exiſtimant, hic enim ſecedens Byzantium, Coronam Capitis ſui voluit Sylveſtro conferre, ſed ipſe pro reverentia clericalis coronæ, vel utilitatis cauſa, noluit eam portare. Verum tamen pro Diademate Regio uſus eſt *auri Phrygio circulari* h. e. ex auro confectum, circularique forma præditum. Alii (30) vero, & ex his plerique Scriptores Gallici, non ad Conſtantinum, ſed ad *Clodoveum* Franciæ Regem ejus originem revocant, cum enim Anaſtaſius Imperator, *Clodoveo* jam converſo, coronam auream gemmis ornatam cum Titulo *Patritii* miſiſſet, hic vero non magni donum hoc faciens, *Symmacho* aut ſecundum alios (31), *Hormisda* Papæ, vel ut *Hincmarus* loquitur, *Beato Petro*, coronam illam, ita ſuggerente S. Remigio Rhemenſi Epiſcopo miſiſſe fertur, quam deinde Pontifex primum mitræ Epiſcopali adjunxerit. Tandem luxu creſcente, *alteram* quæ in medio apparet, *Bonifacius VIII.* qui regna & auferre & dare pro arbitrio animi conabatur, ut *Platina* (32) loquitur, poſt publicatam Extravagantem: *Unam Sanctam* (33), adjecit, quæ propter ſummam in Principes poteſtatem Papæ tributam, multorum & cruentorum motuum cauſa fuit: Unde & Pontifex iſte, ejusque ſucceſſores aliquot, cum duplici Corona in ſtatuis & imaginibus Romæ Avenionique conſpiciuntur (34). *Tertiam* denique, quæ in ſummitate conſpicitur, *Benedictus XII.* poſtquam celebrem de viſione beatifica Quæſtionem, quæ Ecele-

(29) *Vid. Innocentius III. Serm. I. de B. Sylveſtro. Leo IX. Epiſt. adv. Præſumptionem Michaelis cap. XII. Franc. Schottus in Itin. Ital. ex Joſepho Stephano pag. 543. Conf. Leti in Vita Sixti V. Lib. VIII. ſtatim ab init.* (30) *Sigibertus ad A 550 Aimoinus Lib I. cap. 24. Leti Loc. cit.* (31) *Inchofer in Annal. Eccl. Regni Hung. Prævio Chron. pag. 114.* (32) *In ejus Vita* (33) *Inter Extrav. Comm. de Majorit & Obed. cap. I. Conf. Spenerum Part. I. cap. VI. §. XIX. pag. 314. Feſchium de Inſign. cap. III. n. 5.* (34) *Spenerus Loc. cit.*

cleſiam Romanam ſub *Ioanne XXII.* ſummopere turbaverat, ſententia lata decidiſſet, adjeciſſe vulgo creditur (35). Alii (36) denique Coronam hanc multo antiquiorem eſſe, nec a Bonifacio, aut alio Pontifice primum introductam, ſed a *Paulo II.* cum multis ſeculis ex uſu abiiſſet, revocatam, gemmisque mirum in modum decoratam fuiſſe docent; quibus tamen conrrarius plane eſt *Gregorius Leti* (37), qui expreſſis verbis teſtatur, nullum Pontificem ante *Paulum II.* triplici Corona uſum fuiſſe, & licet ſint qui ejus uſum antiquiorem faciunt, eorum tamen opinionem non niſi turpi erga ſedem Romanam adulatione niti, quam certiſſimum eſſe affirmat.

Ceterum de *Myſtica* hujus Coronæ *ſignificatione*, multisque aliis, quæ de ea adduci ſolent magnifica, nihil addimus, cum hæc omnia parum ponderis & auctoritatis apud eos, qui veritatem inquirunt, obtineant. Conferre interim in hanc rem is, cui volupe eſt, poteſt, *Antonium Mazaronium* (38), *Gilbertum Varrennium* (39), poſtque hos *Paſchalium* (40), qui multa in hoc coronamento detegunt Myſteria, multis tamen incredibilia. Denique illud etiam annotari meretur, Coronam hanc alias dici *Triregnum*, Italis *il Triregno*, a tribus cauſis quas *Cæſar Coſta* (*) enumerat.

Quantum vero ad ejus uſum attinet, Pontificem ea, non niſi diebus illuſtribus ac ſolennibus feſtis uti, ex hactenus allegatis Scriptoribus compertum habemus. Longitudinem vero unius pedis, huic Coronæ triplici, *Gregorius Leti* (†) adſcribit.

Ante vero quam me hinc faceſſo, operæ erit precium, Controverſiam illam, quæ circa *inſcriptionem* hujus Coronæ, inter

(35) *Spenerus Loc. cit.* (36) *Jacobus Cardinalis Papienſis Comment, de Rebus Pauli II. Lib. II. Solerius Loc. cit. Sect. XIII. Schottus Loc. cit. pag. 544. ſeq. Paſchalius* Lib. *IX. cap. 27.* (37) *Loc. cit. Lib. VII. §. 27. & Lib. VIII. §. 3.* (38) *Libello de Tribus Pontif. Coronis.* (39) *Loc. cit. Cap. IV. pag. 530.* (40) *Loc. cit. Conf. Schottus Loc. cit.* (*) *Variarum ambiguit. Lib. I. cap. 3.* (†) *Loc. cit.*

ter Eruditos agitata aliquando fuit, paucis tantum attingere. Narratur enim de Corona Pontificis, in frontali ejus olim ſcriptum fuiſſe aureis literis nomen MYSTERIVM, poſtea vero cum Tiara illa a *Julio* III. reficeretur, loco *Myſterii* repoſitum eſſe nomen JVLII, literis ex adamantibus compoſitis. Quæ pervulgata multis ab hinc annis narratio, varia inter eruditos excitavit litigia, negantibus his, aliis vero aſſerentibus. Illi qui ab affirmantium parte ſtant, ex hac inſcriptione concludere ſuſtinent, Prophetiam illam & Prædictionem Apoſtoli *Apocalyp.* XVII, 5. eo ipſo jam impletam eſſe; quibus vero in contrarium eunt, Pontificiæ Dignitatis acerrimi defenſores, conſtantiſſime pernegantes, Romæ unquam ejusmodi veteris operis Mitras conſpectas eſſe, in quarum frontali exaratum fuerit vocabulum illud: *Myſterium.*

Quicquid vero hujus ſit, nobis huic controverſiæ nos immiſcere, plane non eſt animus, eo quod non ſit hujus loci, multo minus noſtri inſtituti in hæcce talia prolixius excurrere. Quare defunctos jam noſtri officii in hac materia eſſe putamus, ſi eos duntaxat Scriptores producamus, qui ſingulari cura huic argumento præſtitêre operam. Primus igitur quantum quidem nobis conſtat, qui ſcripto de hac, ſive vera, ſive falſa, ſententia quicquam tradidit, *Jacobus Brocardus* fuit; in Commentario ſcilicet, ad memoratum *Apocal. caput XVII.* A. 1550. edito (41) Hunc ſecutus eſt *Franciſcus Cæleſtinus*, qui A. 1601. *Vendoma* publice profeſſus eſt, ſe Tiaram *Clementis VII.* ea inſcriptione ſignatam vidiſſe. His tandem quamplurimi auctores adſtipulati ſunt, inter quos *Joſephus Scaliger* (42) præprimis eminet, cujus annotationibus in dictum *Johannis* locum, deinceps multi alii ſubſcripſerunt, quorum Nomina & Libros hic ſaltem nominaſſe,

C c ſuffi-

---

(41) *Vid. Wolffii Lect. Memorab. P. II. pag 752.* (42) *Vid. ejus Epiſtolam hac de re agentem, apud Chriſt. Gotth. Blumberg in Veritate Myſterii Tiaræ Romani Pontificis, Cygneæ 1710. 8. pag. 63. ſeq.*

ſufficiat (43). Ex Pontificiorum vero Claſſe, præ aliis refellere hanc ſententiam pro virili anniſi ſunt *Boſſuetus* (44) & *Andreas du Sauſſay* (45), quibus ex Lutheranis calculum ſuum adjecit *Joh. Lud. Hannemannus*, Prof. Phil. Nat. Ord. in Academia Kilonienſi meritiſſimus (46). Sequitur his ita abſolutis

CAPUT III.

DE

PILEO CARDINALIUM.

Ratio Connexionis. Pilei hujus Materia, Forma primave Origo. Myſticus rubri coloris ſignificatus.

POſteaquam Capite antecedenti de Corona Papæ egimus, aliquid breviter etiam de *Pileo Cardinalium* dicere, ab inſtituto noſtro non alienum erit; præſertim cum ſecundum Pontificem in Eccleſia Romana, Cardinales ſumma auctoritate & dignitate emineant (47); Unde & eis reconciliatum nomen *Cardinalium*, eo quod ipſi tanquam cardines ſuſtineant pondus negotio-

---

(43) *Richardus Thomſonius in Elencho Refutationis Torturæ Torti*, Londini 1611 *pag. 64. ſeq. Petrus Molinæus Exercit. Anti-Boſſet. P. I.* § *18. Viggierius P. II. Theatri Anti-Chriſti Cap. I. Mareſius* Lib. I. *Anti-Chr. Revel. pag. 420. Joh. Quiſtorpius ad Apoc. Cap. XVII. Meno Hannekenius in h. l. & alii quam plurimi a Blumbergio in Ente Reali & in Veritate Myſt. Tiaræ Rom. Pontif. allegati, qui omnino dignus, ut in hanc rem evolvatur.* (44) *Avertiſſement ſur l'Explication de l'Apocalypſe Num. 12. Conf. Bailius in Lexico Tom. I. p. 1080.* (45) *In Panoplia Epiſcopali, Pariſ. 1646.* (46) *In Libello quem inſcripſit: Myſterium Papali Coronæ adſcriptum Non-Ens, Hamburgi 1698. 8. Cui laudatus Blumbergius Ens Reale oppoſuit* (47) *Vid Manfredus Lib. de Cardinalibus Cap. 6 Albanus de Cardin. qu. 6. Panvinius de Cardinal. & poſt hos ex recentioribus, Becmannus Loc. cit. Diſſ. XV. Jo. Fr. Buddeus de Origine Dign. Cardinal.*

tiorum Eccleſiæ Romanæ, ſeu quod ipſi ſint Principes inter alias Eccleſiæ dignitates, ut loquitur *Caſalius* (48).

Ceterum Pileus Cardinalitius eam habet Formam, ut adſcriptus hic typus deſignat. Purpureus eſt, latus, cum dependentibus nodulis fimbriatis. Offendices fimbriatos tantum tres ei tribuit *Strada*, ut & *Sylveſter de Petra Sancta* apud *Spenerum* (49), cum vero hodie plures habeant nodulos, recentioris id inventi eſſe idem *Spenerus* exiſtimat. Hunc purpureum Cardinalium pileum, cum ſuis amentis & offendicibus, a veteribus illis flaminibus Romanis, primum eorum auctorem Innocentium IV. mutuatum eſſe ſcribit *Bullengerus* (50), illi enim apicem offendicibus ſub mentum adductis religabant, ut cum vellent regererent, & pone pendere permitterent, tum etiam ne capite excideret.



Quantum vero ad *Originem* hujus pilei attinet, conceſſus is ab *Innocentio IV.* primum fuit, in Concilio Lugdunenſi A. C. 1245. creatis XII. Cardinalibus eo loco digniſſimis, licet ſint, qui (51) multo antiquiorem pilei rubri uſum fuiſſe contendant (52). Deinde cum Antiſtites aliqui, extra Cardinales, id genus tegminis ſibi arrogarent, publico *Pauli II.* decreto, pœnisque in delinquentes ſtatutis cautum eſt, ut hujns Pilei uſus legitimus Cardinalium duntaxat eſſet (53). Quamquam *Azor* (54), coccineum ſolummodo pannum, ad ephippiarium inſtragulum, a Paulo Cardinalibus conceſſum fuiſſe, tradat.

(48) *De Vet. Criſt. Sacr Ritibus Cap. LXXXII.* (49) *P I. cap. VI. §. 20. p. 316.* (50) *De Off. Eccl. Conſtantir op pag. 27. ex Feſto.* (51) *Vid. Eraſmus de rat. concion. Lib. 3.* (52) *Vid Solerius Loc cit. pag 130.* (53) *Solerius Loc. cit. pag. 132 ſeq.* (54) *Tom. II. Lib. IV. cap. 3. qu. 18.*

Denique in *Myſterio rubei coloris* aſſignando, mirum in modum nonnulli ſibi placent, *Martinus Polonus* ap. *Solerium* (55) teſtatur, purpureo illo colore Cardinales eſſe donatos, ut meminiſſent, ſi res ferret, occumbendum ſibi eſſe pro Eccleſia, & cervices gladio meſſori ſubjiciendas, præſertim in eo tempore, ubi acris hyems tempore Friderici II. Imp. vehementer Eccl. Rom. infeſtabat, nec deerat Martyrii occaſio. Alios hujus coloris ſignificatus lege apud eundem *Solerium* (56). Imprimis autem notandus hoc loco venit *Gilbertus Varrennius* (57): Quia enim *Gregorius Nyſſenus* (58), colorem hunc vocat *indicium dignitatis ſupremæ*, hucque trahit verba *Nahumi Cap. II, 3. Viri exercitus ejus in coccineis*, inde concludit, ad Cardinales ſpectare *regale ſacerdotium*, & præcipuos eſſe Duces Eccleſiæ militantis, docentes, nos ſemper paratos eſſe debere, ad effundendum ſanguinem pro Domino. Quod ſi autem hunc audiamus, Sanctus Apoſtolus *Petrus*, quid loquatur ignoravit, cum *I. Ep. cap. II*, 5. 9. *regale ſacerdotium* commune Chriſtianorum axioma credidit, cum Cardinalibus nondum tunc natis ille debitus fuerit novis auctoribus honos, verba ſunt Doctiſſimi *Speneri* (59). Denique quod Cardinales teguntur *pileo purpureo*, ſericisque veſtiuntur, eapropter *Patres Coccinatos* Apoſtolicos, vocat *Dausquejus in Præf. ſup. Silium Italicum.*

Ultimum tandem filum, in ea quam perteximus tela, abſolvit

CAPUT IV.

DE PILEO SEU INFULA ASCHIEPISCOPORUM.


Ratio Connexionis. Archiepiſcoporum Infulæ differentia a Pileo Cardinalitio.

---

(55) *Loc. cit. pag.* 133. *ſeq.* (56) *Loc. cit.* (57) *Loc. cit.* Part. *IV. pag.* 584. (58) *Homilia VII. in Canticum Canticorum.* (59) *Loc. cit. Conf. Rudolphi Wappenbuch* §. 21.

litio. Alius in Italia, alius in Germania receptus. Materia olim ſimplex & linea, hodie auro gemmisque exornata. Ejus Figura & Significatus Myſticus.

CArdinalitiæ Dignitati proxima eſt Archiepiſcoporum, cui deſignandæ peculiare ii Capitis inſigni utuntur. In *Italia* quidem, Pileus qui Archi Epiſcopis in uſu eſt, a Cardinalitio non niſi colore differt, ut enim iſtorum rubeo, ſic illorum *viridi* conſtat colore, ille in quatuor, hic vero in tres tantum nodulos terminatur. In *Germania* autem illos pileos receptos non eſſe, ſed eorum loco mitras vel tiaras, quæ & infulæ vocantur, ex *Feſchio* (60) accepimus, idem ipſe ex *Panvinio* (61) addit, infulam illam olim fuiſſe *albam* & *lineam*, nec ante ſexcentos annos auro gemmisque, quibus hodie corruſcat, ornatam eſſe.



Forma ejusmodi Infulæ Archiepiſcopalis in Germania uſitatæ, ex appoſita Figura cognoſcimus. Bicornis eſt, & patulo curvamine ſuperne hians, cum crucicula utrique apici impoſita, denique ex utraque parte vario gemmarum decore exornata, dependentibus ſuper aures vittis albentibus (62), ita ut non multum abſimilis ſit pileo cornuto priſcorum Sacerdotum ethnicorum, ceu *Paſchalius* (63) docet. Gemina vero cornua, diverſimode ab Auctoribus explicantur. *Petrus* quidem *Gregorius* (64) exiſtimat, inſinuari iis neceſſariam Epiſcopo *cognitionem utriusque Teſtamenti. Paſchalius*

(60) *Diſſ. de Inſignibus Cap. III. n. 15.* (61) *De vocibus Eccl. obſcur. in calce. Conf. Solerius Loc. cit. pag. 140. ſeq.* (62) *Conf. Solerius Loc. cit pag. 139. Paſchalius Lib. IV. cap. 21. pag. 273.* (63) *Loc. cit.* (64) *Syntagm. Lib. XV. cap. 12.*

lius (65) vero putat, ſignificari geminas dotes præcipuas Epiſcopo conſentaneas, *ſcientiam* videlicet, & *ſanctitatem.* Alias ſignificationes cumulatas atque congeſtas apud *Solerium* (66); differentiam vero inter Pileum Archiep. Epiſcopalem & Abbatum, apud ſæpius, nec tamen ſatis laudatum *Spenerum* (66). lege.

Atque ſic exantlato per tot gentium ac populorum vaſtiſſima Imperia & Regna curſu, viſoque apud eos, per omnes fere actiones & ritus eorum, diffuſiſſimo varioque Coronarum uſu, vela nunc orationis lætabundi deducimus. Ante vero quam Commentationi huic Coronidem imponimus, reſtat ut fidem pag. 176. datam, honeſte liberemus, promiſſisque *de ſpeciali Coronæ Regni Hungariæ tractatione*, ut bonum civem decet, ex aſſe ſatisfaciamus.


Poſteaquam enim ſingulari Numinis Æterni Providentia mihi contigit, in ſubjecta nunc Sacræ Regni Hungariæ Coronæ provincia inclyta naſci, primasque vitales haurire auras, nihil prius aut antiquius exiſtimavi, quam ſi commodiſſima hac occaſione, ſpeciali Coronæ Hungaricæ conſideratione, & *Pietatem* erga *Patriam* dilectam, & *devotiſſimi animi*, erga REGEM, CAESAREM ac DOMINVM meum CLEMENTISSIMVM, [quem DEVS T. O. M. univerſo Hungariæ Regno, e tot calamitatibus inteſtinis eluctato, totque ac tantis triſtisſimis fatis defuncto & reſtituto, cum alma pace, felicem diu, ac fortunatum, quod omnes boni calenti precantur pectore, ſervet ac tueatur] *ſubmiſſionem* & *affectum*, publico conteſtarer teſtimonio. Hoc itaque inſtituto ſequitur nunc

DISCVR-

---

(65) Loc. cit. pag. 274. (66) Loc. cit. pag. 141. (67) Loc. cit. §. *XXI. ſeq. Conf. Auctor des groſſen Wappenbuchs in Præfat. num. 12.*

DISCURSUS PECULIARIS DE ORIGINE ET FATIS SACRAE, ANGELICAE ET APOSTOLICAE REGNI HUNGARIAE CORONAE.



ACturi nunc de Sacra Corona *Hungariæ*, certos noſtræ Tractationi limites ponere lubet, ne in hujus laboris curriculo, extra limites vagari, aut ἀμεθόδως procedere videamur. *Capite* igitur *I.* in primam ejus *Originem & Antiquitatem*

tem ex Annalium Monumentis inquiremus. *Capite II.* Ejus *Materiam* atque *Figuram* accurate delineatam contemplabimur. *Cap. III.* exponet ejus *Dignitatem* & *Prærogativam. Caput IV.* Regias recenſebit Conſtitutiones de *Loco Conſervationis*, ejusque *Conſervatoribus* ac *Cuſtodibus. Caput V.* ſingularia ejus *Fata* ſecundum annorum ſeriem diligenter enuberabit. Denique *Capite V. Jus* illud, quod P*ontifex Romanus* ob datam Sancto Stephano Coronam, in Regnum Hungariæ prætendit, breviter examinabitur, ejusque fundamenta pro virili diſcutientur. Atque hac methodo ordimur nunc

CAPVT I.

quod agit

DE

PRIMA EIVS ORIGINE.

Coronæ Hungaricæ Nomenclatura. Cur Sacra, Angelica & Apoſtolica dicatur? Data hæc primum fuit a Pontifice, primo Hungarorum Regi chriſtiano, Sancto ſcil. Stephano, non Vladislao. Idque non a Benedicto VII. nec Gregorio V. multo minus a Bonifacio VII. ſed a Sylveſtro II. ubi & occaſio introductionis prolixius expenditur. Sprengeri, Auctorisque cujusdam Anonymi ſententia refellitur.

QVod alias vulgo dici ſolet, nomina rebus ſuis ſæpe convenire, ſuo id exemplo, Corona Regni Hungariæ luculenter utique demonſtrat. Sortita enim eſt titulos tam nobiliſſimos, nominaque egregia, ut ea cum Dignitate ejus, Excellentia atque Majeſtate convenire, nemo ſanus facile negaverit. Dicitur namque SANCTA dicitur ANGELICA, imo & APOSTOLICA CORONA, idque merito jureque optimo. *Sancta* quidem atque *Sacra*, partim quod *Dei ſanctiſſimi* nutu ac voluntate, ſub auſpiciis primisque incunabulis *ſanctæ Religionis Chriſtianæ*, primo Hungarorum Regi Chriſtiano,

San-

Sancto ſcilicet *Stephano* miſſa atque oblata fuerit; partim etiam, quod non ſolum ejus abſides ſuperne ſe mutuo interſecantes, *Sanctam* formant *crucem*, ſed & apici ejus, ſingulari ſtudio *ſanctiſſimæ crucis* ſignum ſit impoſitum. *Angelica* vero, quod Sylveſter Papa *Angelo* præmonente eam Stephano miſerit. Denique *Apoſtolica* ex duplici ratione, primo quod aurea hujus Coronæ circumferentia & circuli, Sacrorum *Apoſtolorum*, Regum denique ac Imperatorum, Martyrumque Chriſti imaginibus, per totum corpus, usque ad crucem ſummam exornata atque condecorata conſpiciantur. Deinde etiam, quod a Succeſſore Petri principis Apoſtolorum, ut nonnulli loquuntur, Sancto Stephano Hungarorum *Apoſtolo*, velut in ſignum Apoſtolatus miſſa atque donata fuerit. Ita enim Sylveſter ad Legatum Stephani: *Ego*, inquit, *ſum Apoſtolicus*, *ille vero* [Stephanus ſcil.] *merito Chriſti Apoſtolus*, *per quem ſibi tantum Populum Chriſtus convertit* (1).

Ceterum quod *originem* & *ingreſſum* hujus Coronæ in Hungariam concernit, miſſam a Pontiſice Romano eam S. Stephano fuiſſe, nemo, quantum ego quidem ſciam, hactenus ivit inficias. Cuinam vero ex numero Pontificum, accepta ſit referenda, non una apud omnes ſententia. Sunt qui beneficium iſtud *Bonifacio VII.* (2) adſcribunt, alii *Benedicto VII.* (3), rurſus alii *Gregorio V.* (4), nullo tamen fundamento, aut veritatis ſpecie nixi (5).

(1) *Vid. Legenda de S. Stephano. Chartuitius in Vita S. Stephani inter Scriptores Hiſt. Rer. Hung. Efurti 1601. ed. pag. m. 272. Inchofer in Annal. Eccl. Regni Hung. ad A. C. 1000. pag. m. 254.* (2) *Jordanus in Not. ad Dubravii Lib. VI. Hiſt. Boh. Balbinus in Miſcel. Hiſt. Boh. pag. 361. Bucelinus in Aquila Imperii Benedictini pag. 130.* (3) *Bonfinius Dec. II. Lib. I. pag. m. 119. b. Nadanyi in Floro Hung. Lib. II. cap. 2. & plerique tam Hungaricarum quam Polonicarum rerum Scriptores.* (4) *Vid. Corpus Juris Tripart. Tom. II. pag. 1. in margine.* (5) *Vid. Inchofer Loc cit. pag. 251. Revva de Monarch. & S. Corona Regni Hung. Cent. I. p. m. 2.*

Transmiſſam enim hanc Coronam S. Stephano fuiſſe A. C. 1000. aut 1002. communis illorum eſt ſententia, qui collatis temporum periodis rem paullo accuratius introſpexerunt, circa illud vero tempus prædictos Pontifices jam dum fatis deceſſiſſe, vel ex uno *Baronio* (6) clariſſime nobis conſtare poteſt. Itaque cum in Monumentis Annalium deprehendamus, ab A. C. 999. usque ad A. 1003. [quo annorum intervallo, Coronam Hungaricam Stephano Regi transmiſſam fuiſſe, jamjam probatum dabimus] Sylveſtrum II. Pontificatus dignitatem Romæ tenuiſſe, hinc dicendum utique erit, oblationem Coronæ hujus non niſi Sylveſtro II. acceptam eſſe referendam.

Qua vero occaſione id fuerit factum, paullo altius nunc inquirere, & tractationis neceſſitas, & argumenti gravitas poſtulare a nobis videtur. Cœperant hactenus per multa ſecula Hungarorum aut verius Hunnorum mentes animosque, Barbaricæ immanitatis, Ethnicæque ſuperſtitionis plus quam Cimmeriæ noctes atque tenebræ, quibus tanquam denſa nube presſi, vivæ cœleſtis veritatis doctrina expertes, mortuorum inſtar jacebant. Et licet quandoque evenerit, ut nonnulli eorum, Caroli M. præſertim ævo Chriſtum colere inciperent, conſtantes tamen in fide minime manſerunt, quippe quod religione nondum probe imbuti, ſed leniter tantum tincti eorum eſſent animi, unde & conceptæ illæ, doctrinæ Chriſtianæ ſcintillulæ, ſubortis deinde bellorum calamitatibus, domeſticisque motibus, extinctæ protinus atque abolitæ rurſus fuêre.

Poſtea, quam vero ſub finem Seculi IX. Dux *Geyſa*, peſſimo Patri optimus ſuccederet filius, alia & religionis & regni oborta fuit facies, pondere ſuo diviſa Ethnicæ ſuperſtitionis caligine. Ille enim primus ab *Adalberto* Pragenſium Epiſcopo, ſacro flumine initiatus, fundamenta Religionis Chriſtianæ didicit, conquiſitisque viris religioſis, divino adjutus auxilio ferocem

(6) *Ann. Tom. X. ad A. C. 974. 975. 999. Conf. Spondanus in Epitome Annalium Baronii ad hos Annos. Inchofer in Annalibus ad h. An.*

cem eo redegit populum, ut poſthabitis & everſis Idolis, Chriſto nomen darent, & certatim templa, ſcholasque erigerent. Mortuo dein Geyſæ Filius ***Stephanus*** ſucceſſit, paternarum virtutum optimus hæres, Chriſtianæque fidei propugnator ac propagator admirabilis. Hic quam primum a morte Patris Principatum cum Regio nomine obtinuiſſet, omnem eo convertit curam & vires, qua ratione Chriſtiana Religio inter ſuos ſolidius poſſet ſtabiliri. Quo fine multis in locis templa erigebat & fundabat, conſtitutis quoque in iis Epiſcopis & Antiſtitibus qui Sacrorum diligentem gererent curam (7).

His itaque feliciter inſtitutis, e re S. Stephano videbatur eſſe, ad Pontificem Romanum Legationem ordinare, partim ut ex more illorum temporum Pontifici, tanquam Summo Epiſcopo Reverentiam exhiberet, deque ſtatu Religionis in Hungaria feliciter proficiente, certiorem redderet, partim etiam ut in Hungaros ſuos, qui noviter Chriſto nomen dederant, Apoſtolicam benedictionem imploraret, regiaque inſignia cum Pontificia benedictione aſſequeretur (8). Non autem eo fine, ut Regnum ac populum, cunctaque ſua, & ſemetipſum in perpetuum Pontifici offerret, quemadmodum ſuo loco adverſus contraſentientes pluribus demonſtratum dabibus. Deligitur ***Aſtricus*** ſeu ***Anaſtaſius***, ex Abbate nuncupatus Epiſcopus, vir non doctrina minus, quam religione & prudentia agendi præſtans; Hic acceptis commiſſis Romam ad Pontificem venit, Legationis officium diligentiſſime exequens, & Sancti Ducis geſta referens ordine, ab Apoſtolica ſede quam promtiſſimus inſignia poſtulavit, indicans eum tali honore & dignitate, qui plures gentes per Dei adjutorium ſibi ſubjugaſſet, multos infideles per ſuam potentiam ad Dominum convertiſſet, dignum utique eſſe. Quibus

 audi-

(7) *Vid. Chartuitium Loc. cit. Thurocium in Chronico Part I. Cap XXVII. ſeq. Ranzanum in Epit. Rer. Hung. Ind. VIII. Bonfinium Loc. cit. & ex his alios recentiores quam plurimos.* (8) *Vid. Bonfinium Loc. cit. & reliquos Auctores jam citt.*

auditis valde gaviſus Pontifex, cuncta prout fuerunt poſtulata, benigne conceſſit, crucem inſuper anteferendam Regi, velut in ſignum Apoſtolatus miſit: Ego, inquiens, ſum Apoſtolicus, ille vero merito Chriſti Apoſtolus, per quem ſibi tantum Populum Chriſtus convertit. Quapropter diſpoſitionem ejusdem prout Divina Gratia ipſum inſtruit, Eccleſias Dei ſimul cum populis vitæque jure ordinandas ei relinquimus. *Coronamque Regiam*, quam *Miſcæ* Poloniæ Duci deſtinaveramus, *Stephano* ad exaggerandam ejus dignitatem, mittimus. Atque ſic omnibus a Sylveſtro Pontiſice impetratis, Aſtricus lætus in Hungariam rediit, ſecum ferens benedictionis Apoſtolicæ Literas (9), cum Cruce & *Corona*, quam *Stephanus* A. C. 1000. transmiſſam accepit, eaque A. 1001. ad ſummum regiæ dignitatis faſtigium evectus, ſummo omnium cum favore & applauſu, ſolenniter eſt coronatus (10).

Atque ex his facile liquet, quam enormiter erravetit *Sprengerus* (11), quando Coronam hanc a Pontifice *Vladislao* non vero *Stephano* miſſam fuiſſe nugatur. Cui *Auctor Libelli des Interets des Princes* merito jungendus eſt, pag. 134. ita ſcribens: *Le Pape Innocent VII. envoya une conronne a Vladislaus, qui ſe trouvoit ſeul de la race des Rois de Hongrie.*

Hæc de Origine Sacræ Coronæ, ejusque primo in Hungariam ingreſſu ſufficiant. Pergimus nunc ad reliqua.

CAPVT

---

(9) *Literas has Sylveſtri II. Pontificis, quas Legatis Hungariæ una cum Corona, ad Stephanum perferendas dedit, ex manuſcripto publici Juris fecit Inchoferus Loc. cit pag. 256. ſeq. Quæ cum juſto prolixiores ſint, quam ut hîc inſeri poſſint, inſuper etiam quædam in ſe contineant, quæ ſtrictura indigent, alii occaſioni publicandas reſervamus.* (10) *Vid. Chartuitius, Bonfinius, Ranzanus, Revva, Inchoferus Locis citatis. Ut & Baronius ejusque Epitomator Spondanus ad A. C. 1002.* (11) *In Font. Jur. Publ. Cap. IX. pag. 73.*

CAPVT II.

DE
EIVS FORMA ET FIGVRA.

Ratio Connexionis & Ordinis. Forma hujus Coronæ ſecundum omnes ejus partes accurate deſcribitur. Ex quibus elucet nullum inter omnium Regnorum Regalia inſignia, aliud præclarius & religioſius inveniri.

INnveſtigata hactenus ex Monumentis Hiſtoricorum prima Sacræ Regni Hungariæ Coronæ Origine, pergimus nunc ad ejus *Formam*. Hanc verbis Illuſtris quondam Comitis *de Rewa* deſcriptam dare placet, eo quod *αὐτόπτης* ipſe diligentiſſime eam colluſtraverit (12).

Eſt itaque *Forma* S. Coronæ *auro ſolido*, artificio ſculpturæ magis cœleſti quam humano in orbem fuſa, a cujus latiore circumferentia [ut ex adjecto ſupra ſchemate videre eſt] pariter *pinnæ florentes* forma triangulari circumeminent, quatuor angulis rectis abſides ſe mutuo interſecantes deſinunt in crucem; in ipſa vero circumferentia, a fronte recta *imago Salvatoris* noſtri pomum tenentis, ex adverſo Divæ *Mariæ* virginis, & deinde ſacerrimus *Apoſtolorum* ordo, *Regum*que ac *Imperatorum Martyrum*que Chriſtianorum, ut videre licet literis Græcis, cujuslibet imaginis ſpecies aureis vultibus ac propriis trophæis, per totum corpus, usque ad *Crucem* ſummam mutuo conſequuntur, interjectis cuilibet imagini *gemmis ac unionibus candicantibus*, item precioſioribus lapidibus, Smaragdo, Sapphiro, Hyacintho, Cryſolyto, Rubino. Et quidem Sapphirum qui

(12) *Loc. cit. Centur. VII. pag. m. 143. ſeq. Conf. Chriſtoph. Lacknerus in Coronæ Hung. Emblematica Deſcriptione 1613. 4. Qui tamen non adeo obſervat ipſam Formæ diſpoſitionem, quam intrinſecum, ut ipſe pag. 40. fatetur, decoris ſplendorem, quem variis hieroglyphicis explicationibus illuſtrat,*

qui *Matthiæ* Regis tempore raptus fuit, eoque pacto cognoſcendæ & recipiendæ genuinæ Hungarorum Coronæ, a *Friderico II.* indicium dederat. *Matthias II.*, cujus auſpiciis felicibus S. Corona in ſedem patriam rediit, inſertione alterius ſupplevit, qui etiam nunc in averſa occipitii parte medius conſpicitur. Porro ab aurium naturali parte, una quatuor, ab altera totidem *gemmæ pretioſiores octo ex catenulis aureis* dependent, apendicum veluti loco, quæ ad levem Sacri Capitis motum, mutua quaſi harmonia ſe commovent. *Nona* vero ſingularis, a poſteriore parte Coronæ, quæ occiput circumdat, appenſa catenula in modum reliquarum conſpicitur. Quæ novem catenulæ, novemque in frontali & occipitali coronæ partæ pinnæ radiantes, majusculis unionibus intra certa ſpatia, *Regnorum novem* ac Provinciarum, Regno Hungariæ incorporatarum, *Slavoniæ* ſcilicet, *Croatiæ*, *Dalmatiæ*, *Boſniæ*, *Serviæ*, *Bulgariæ*, *Hallitiæ*, *Lodomeriæ*, *Cumaniæ* poteſtatem & ſplendorem indicant. De reliquarum partium hieroglyphica explicatione, nihil plane addimus, cum noſtri inſtituti ſit, externam ejus duntaxat Formam atque Habitudinem, in noſtram vocare conſiderationem; Interim ſi quis ſit, qui ejusmodi myſticarum ſignificationum deſiderio capitur, explanata longa ſerie eas legat apud Comitem *de Rewa* (13), & ſpeciatim apud *Chriſtoph. Lacknerum* (14), cujus in hoc libello peculiare fuit inſtitutum, Emblematicam S. Coronæ Hungaricæ Deſcriptionem erudito orbi proponere.

CAPVT III.

DE

EIVSDEM DIGNITATE ET PRÆROGATIVA.

Ratio Connexionis. Dignitas & Prærogativa Coronæ Hungaricæ elucet ex

(13) Loc. cit. (14) Loc. cit.

ex ejus Antiquitate & ſingulari Origine, ex Myſteriis, quæ ſacræ illæ & aureæ in circumferentia Imagines indicant, denique etiam ex eo, quod in Hungaria nullus pro Rege haberi conſueverit, niſi qui vetuſtisſima iſthac Corona, redimitus & conſecratus fuerit, etiamſi ſuffragiis omnium ordinum Rex pronuntiatus ſit.

HActenus *Habitudinem Formalem* S. Coronæ Hungariæ breviter luſtravimus, nunc de ejus *Dignitate* ſingularique *Prærogativa* paucula annectere lubet, hoc enim Regio Diademate, inter omnium modernorum Regnorum Regalia inſignia, aliud præclarius magis & religioſius dari, merito dubitamus.

Patet idipſum ſole meridiano clarius, primo ex ejus *Antiquitate.* Primum enim hujus Coronæ ortum ex initio Seculi XI. deducendum eſſe, prolixius Capite I. probatum dedimus, quo tempore nulli utique ex Europæis Regibus, ejusmodi luculentum Regiæ Dignitatis inſigne in uſu fuiſſe, ex ſupra dictis innotuit; priſcis enim illis temporibus alii Reges faſciam ſimplicem duntaxat, dein aureum Circulum ſeu Diadema uſurpabant; artificii gemmatis in orbem floſculis diſtincti uſu, ſero admodum recepto atque adhibito, Quod ſi autem Illuſtris Comes *de Rewa* (15) audiendus ſit, multo certo antiquior ætas huic Coronæ erit adſcribenda. Hic enim ex græcis characteribus, qui cum imagine & nomine *Conſtantini M.* in baſi coronæ expreſſa apparent, nec non ex catenulis, quales in Iconibus Græcorum Imperatorum, noſtræ Coronæ catenulis ſimiles, deprehenduntur, optime concludit, Coronam hanc noſtram, illud ipſum Diadema eſſe, quod *Conſtantinus M. Sylveſtro* Pontifici, docente *Platina* (16), inter alia plura munera donavit, quo autem Sylveſter tanquam re capite Regio digna uti noluit, phrygia mitra & candida tantummodo contentus. Quæ tandem per aliquot ſecula inter gazas & theſauros Pontificum Rom. delatuit, donec tandem divina ſic diſponente providentia, Divo Stephano fuit transmmiſſa.

Porro

(15) *Loc. cit. Cent. VII. pag. 141. ſeq.* (16) *In ejus vita.*

Porro ſingularis eſt, præter Antiquitatem, S. hujus Coronæ dignitas, quod *a ſalutari cæleſtis veritatis in Hungaria Origine*, ortum quoque ſuum ſortita ſit, atque initium. Quum enim alii Reges, pro ſuo quisque lubitu ſub auſpiciis Imperii ſibi effigiunt atque imponunt Coronam, eam S. Stephanus pio Religionis Chriſtianæ zelo, divinitus deſtinatam promeruit, alterique præparatam, tanquam munus ipſe accepit, digniſſimus utique tali honore atque dignitate, ut paulo ante demonſtratum ſatis dedimus.

Cumulant poſt hæc Dignitatem S. Coronæ Hungariæ ſingularia illa *Myſteria*, quæ Sacris illis Imaginibus & picturis arcane continentur. Quid enim, quæſo, Sacerrimus Apoſtolorum ordo aliud indicat, quam Symbolum divini ordinis illius Sacroſanctæ Fidei, duodecim Articulis per totidem Apoſtolos compoſitum? Quid ſanctiſſima Salvatoris imaginis ſpecies, quam fundamentum illud validiſſimum, quo ſuperſtructa & fundata eſt univerſa Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Doctrina, ad cujus amorem, ſtudium atque cultum, Salvator dulciſſimus, exporrecto quaſi digito Regem coronatum exſuſcitat. Quid aureæ illæ catenulæ, ad levem capitis Regii motum, ſeſe commoventes? quam ut Rex aures divinæ humanæque conſervando juſtitiæ, accuſanti & ſupplicanti unam, reo alteram commodet, omniaque ad ſupremi numinis gloriam, famam bonam, immortalemque nominis ſui exiſtimationem referat (18). Quid variegatus ille lapillorum pretioſorum diverſi generis decor, quam varias ſpecies virtutum denotat, quibus coronati Regis animus decoratus eſſe debet? Coronam enim & Diadema Regium virtutes ornant, inquit *S. Stephanus Decret Lib. I, Cap. 10.*

Denique ultimo loco ſingularis S. Coronæ Hungaricæ Dignitas & Prærogativa præ aliorum Regum Diadematibus ex eo et-

(17) *Vid. quæ ſupra diximus pag. 197.* (19) *Vid. Revva pag. 143. Conf. Eliæ Bergeri Jubilæus de Orig. Errore & Reſtitutione S. Coronæ Hung. pag. 3. ſeq.*

etiam elucet, quod *Rex Hungariæ niſi Sacro hoc Diademate ſit coronatus, Imperio nec plene, nec legitime potiatur*, etiamſi conſenſu atque ſuffragio, omnium ordinum Rex pronuntiatus fuerit, & Regni habenas compluribus annis cum laude tenuerit. Unde nulla indulta, nullæ collationes, nulla ejus Privilegia locum vel pondus aliquod habent, & merito pro *Interrege* cenſetur. Exemplis illud declarari pluribus facile poſſet, niſi jam ante me alii doctiſſimi viri (19) diligenti cura id eſſent executi; ad quos L. B. brevitatis cauſſa remittimus.

Atque hæc Corona, Regi legitime electo atque coronato, ita eſt propria [quod non minimum Dignitatis ejus eſt argumentum], ut ab ea Reginæ, ad normam velut Legis cujusdam Salicæ olim arcerentur; idcirco non hac, ſed alia Corona, quam ipſæ ſibi ad eum uſum parant, ornantur, nec ab Archiepiſcopo Strigonienſi, ſed ex veteri inſtituto ſeu Privilegio Weſprimenſi, ſolenni pompa conſecrantur. Et tenuit hæc conſuetudo diu, donec Reginarum inauguratio ſine diſcrimine Coronarum celebrari cœpta eſt, eo tamen diſcrimine, ut more hodierno, S. Stephani Corona perunctæ Reginæ, non capiti, ſed humero duntaxat dextro applicetur, domeſtica vero Capiti impoſita (20).

Cumque igitur in hoc Regiæ Dignitatis Diademate adeo maximum ſit poſitum momentum, hinc incredibili ſtudio & cura, loco ſecuro conſervatur, conſtitutis hanc in rem neceſſariis cuſtodibus atque conſervatoribus, de quibus ſequenti nunc agemus Capite.

(19) *Vid. Revva Loc. cit. Inchoferus Loc. cit. pag. 279. Behamb in Notitia Hungariæ Antiquo-Modernæ P. I. §. 319. ſeq. Conf. Jus Conſuetud. P. II. Tit. 14.* (20) *Vid. Revva pag. 25. Inchoferus Loc. cit. Iſthvanfi Hiſt. Hung. Lib. XX. pag. m. 425. Conf. Series Coronationis Eleonoræ Thereſiæ A. 1687. d. 9. Dec. Sopronii inſtitutæ. Balbinus Hiſt Bohem. Lib. XII. pag. 277.*

CAPVT IV.

DE
LOCO CVSTODIAE, nec non CONSERVATORIBVS S. CORONAE HVNGARICAE.

Ratio Connexionis. Alius locus olim Cuſtodiæ S. Coronæ deſtinatus, alius hodie. Cuſtodum & Conſervatorum notatur Numerus, Officium, Auctoritas & Salarium.

QVemadmodum ex hactenus dictis, de ſingulari Prærogativa atque Dignitate S. hujus Coronæ ſatis conſtat, hinc mirum videri haud poteſt, quod ea de cauſſa Status & Ordines Regni Hungarici de Sacræ noſtræ Coronæ conſervatione & cuſtodia, tanto ſtudio atque cura cogitarint proſpexerintque, non aliter quam ſi univerſi Regni ſalus & Religio ex ea dependeret. *Novimus enim nos*, inquit *Matthias Rex Decret. II. Art. 2. de Anno 1464., & noverunt omnes Domini Prælati & Barones noſtri, novit etiam tota communitas Regni, quomodo & qualiter, propter indebitam cuſtodiam & proviſionem S. Coronæ, ipſa Corona fuit ab hoc Regno alienata. In cujus alienatione irrecuperabilia damna, & indicibilia ſpolia, & multas incommoditates hoc Regnum paſſum eſt, & tandem poſt multos labores & fatigia, & graves expenſas ipſa Corona & pecuniis communitatis Regni noviſſime eſt redemta. Nos ergo volumus, ut debemus, de pari conſenſu & voluntate Dominorum Prælatorum & Baronum ac Regni noſtri Nobilium, hoc in loco providere, circa debitam cuſtodiam & conſervationem ipſius Coronæ Sacræ, locum alias conſuetum, & perſonas ad id idoneas, ne [quod Deus avertat] ipſa Corona iterato ab hoc Regno alienetur.*

Atque ex ea plane cauſſa, tam de *Loco*, quam etiam *Conſervatoribus* & *Cuſtodibus*, variis Decretis ac Conſtitutionibus Regiis

Regiis cautum fuiſſe legimus. Et quidem quod *Locum* ejus concernit, diſplicuit veteribus Hungaris, florentiſſimo totius ſtatu S. Coronam *Budæ* ſede Regia auguſta, deponere & conſervare, eo quod ab omnibus omnium pene gentium populis illa frequentaretur, & ut fieri ſolet, in tanta hominum frequentia, negotiorumque varietate ac rerum viciſſitudine, plerumque diverſas aleret factiones, unde gravia ſæpe timenda erant pericula, hinc conſultius eſſe putabant, ſacrum hoc Capitis Regii inſigne, in quo tantum poſitum eſt momentum, extra conſpectum & conſortium hominum, in loco quieto, ſecuro, ab ipſa natura dato & munitiſſimo, excelſiſſimoque monte ſito, fixam ejus ſedem & domicilium collocare atque conſtituere. Is autem erat *Caſtrum Viſſegrad* (22), a Buda quinque milliaribus verſus Strigonium in altiſſimo monte, cujus radices Danubius alluit, ſitum. Hic mediocris altitudinis, optimeque munita *Turris* viſitur, quæ a parte Danubii domicilium Coronæ tuetur. Qui locus in ea cura & ſollicitudine fuit, ut nec Cuſtodibus S. Coronæ adyta quoties liberet, ingredi, nec aliis quibusvis, qui Religione Diadematis Sacri ducti, domicilium ipſius, vel a limine ſalutare cuperent, permitteretur. Tandem vero ubi maxima Hungarorum calamitate, & fati iniquitate occupata ab Hoſtibus Hungaria eſſet, locus hic mutatus, & mutata ſede, ipſa etiam ſalus & gloria Hungarorum vacillare & mutari viſa eſt. Interim in hunc usque diem arcis hujus quodam cubiculo, cerni poteſt concavitas quædam, inſtar mediocris feneſtræ ex duriſſimo exciſa ſaxo, in qua ſacra Corona una cum reliquis lipſanis Regiis, inſtrumentisque literalibus, aſſervata olim fuit.

Mutato igitur hac ratione antiquo domicilio, *Poſonii* (23) nunc aſſervatur, quo loco etiam Coronationes in æde D. Martini

 tini

(22) *Vid. Vladisl. Decret. I. Art. 3. Conf. Revva Loc. cit. pag. 151.* (23) *Vid. Pacific. Viennenſis de Anno 1606. Art. 4 & A. 1608. ad Art. 4. A. 1622. Art. 4. Leopoldi de A. 1659. Cond. 10. Revva Loc. cit.*

tini abſolvuntur. Et licet exortis ſubinde tempeſtatibus, aliorſum quandoque ſecuritatis cauſſa fuerit deportata, attamen pacato rerum ſtatu ordinariæ ſuæ ſedi rurſus fuit reſtituta. Quotiescunque vero de loco in locum eam deferri opus fuit, dici vix poteſt, quam ornato Nobilium comitatu, inſtructaque militum manu, ac plane juſto exercitu deducta ſemper fuerit, non alia ſane pompa & ordine, quam ſi Regem coronatum comitarent. Crux autem illa gemina Apoſtolatus inſigne, quam Pontifex una cum Corona S. Stephano transmiſit, ſive temporum injuria, ſive hominum incuria [quando vero & quo modo incertum] amiſſam eſſe teſtis eſt *Incboferus* (24).

Hæc de Loco cuſtodiæ, nunc ad ejus *Conſervatores* & *Cuſtodes*, ſtylum convertimus. Olim quidem ſub obſignatione ſigillorum Domini *Palatini*, *Trium Prælatorum*, & *totidem Baronum* S. Corona conſervabatur (25); quandoque tamen etiam unius tantum fidei & curæ commiſſa (26); ſubſecutis vero temporibus cum neceſſarium opportunumque eſſet, binis tantum S. Coronæ curam concredere, nova Sanctio de Duumviratu lata eſt, cujus tenore Prælatis excluſis, *duo Proceres ſeculares* utriusque religionis, in Conſervatores S. Coronæ conſtituti fuêre, qui per Regiam Majeſtatem, ac univerſos Dominos Prælatos & Barones, ceterosque Regnicolas eligi conſueverunt (27).

Conſervatorum vero horum *Officium* in eo potiſſimum conſiſtit, ut adhibita ſingulari prudentia & ſagacitate ſibi caveant, ne quovis modo decipiantur, ſed & tempore periculi bellique, omne virtutis animi & corporis robur exerant, quo tantus theſaurus in ſalvo & tutela ſemper eſſe poſſit, quo fine Domini Conſervatores, vel ambo ſimul, vel alternatim penes eandem S. Coronam Regni continuo reſidere tenentur, ſingulari

---

(24) *Loc. cit. pag. 304.* (25) *Vid. Matthiæ Regis Decr. II. art. 2. A. 1464. Art. Vienn. ad 4.* (26) *Revva pag. 56.* (27) *Vid. Vladisl. Regis Decret, III. Art. 25. IV. Art. 23. Conf. Revva pag. 58. & 133.*

lari ad hoc adſtricti Sacramento (28). Nec minor interim Conſervatorum *Dignitas* atque *Auctoritas*. Cum enim aliorum officiorum mutatio, ex ſolo arbitrio Regis pendeat, quocunque illa nomine vocentur, ipſa Duumviratus Conſervatorum Coronæ Dignitas perennis, & cum vita earum perſonarum, quæ eam ſuſtinent, deſinere conſuevit, eo quod juxta formam Decreti, per Regem & Status atque Ordines univerſos communiter, perſonis de Patria bene meritis imponatur, nec niſi mutuis Regis & Regni ſuffragiis, abdicari rurſus poſſit (29). Ad Dignitatem accedit, quod utrisque Dominis Conſervatoribus in Arcis portas, munitiones, militesque præſidiarios æqualis ſit auctoritas & poteſtas (30). *Salarium* vero in eo poſitum eſt, ut a ſingulis portis denarios LXXV. accipiant, ſecundum Conſtitutionem Anni 1613. Art. 9. 1618. Art. 39. 40. 1622. Art. 25 ſeq. 1630. Art. 6. 1635. Art. 4. 1638. Art. 8. 1647. Art. 33. 1649. Art. 96. 1655. Art. 15. Cui & Sclavonia tenetur partem ſolvere, juxta Conſtit. Anni 1647. Art. 34. 1655. Art. 15.

Tandem ut ſufficiens Coronæ Sanctæ domeſticum eſſet præſidium, pro more hodie conſueto *Centum Milites pedites*, Hungarici quinquaginta & totidem Germani, curæ ejus & cuſtodiæ adhibentur, qui a Conſervatoribus & Caſtellanis ſuam habent dependentiam, Regno & Coronæ juramento adſtricti (31).

CAPUT V.

DE FATIS CORONAE S. SINGULARIBUS.

Ratio Ordinis & Connexionis. Quid per Fata S. Coronæ intelligamus,

expo-

(28) *Vid. Decret. II. Anni 1647. Art. 3. quod repetitur Decret. III. Anni 1655 Art. 45.* (29) *Vid. Revva pag 36.* (30) *Vid. Decret. I. poſt Coron. A. 1608. Art. 16.* (31) *Vid. Decret, A. 1622. Art. 4. Decret. I. A. 1625. Art, 26. Decret. II. A. 1635 Art. 87. Decret. II. A. 1647. Art. 4. Decret. III. A. 1655. Art. 45. & A. 1681. Art. 36.*

exponitur. Fata & Peregrinationes S. Coronæ ſecundum Annorum ſeriem prolixius recenſentur.

Singula illa, quæ usque huc tam de ſingulari Dignitate Sacræ Coronæ Hungaricæ, quam etiam de pertinaci ejus cura atque cuſtodia prolixius fuêre expoſita, eo collineant, quod in Hungaria major ſemper Coronationis quam Electionis habita fuerit ratio, ita ut penes quem Corona eſſet, is & Rex Hungariæ eſſe putaretur. Ex quo ſæpe deinceps evenit, ut ii, qui ad culmen Regiæ Dignitatis adſpirarent, maxima animi pariter ac corporis contentione in id incumberent, qua ratione ſive prætextu amicitiæ, honeſtatisque ſimulatione, ſive bello marteque aperto, Coronam hanc in ſuam poſſent redigere poteſtatem.

Atque hac ratione, divina ſic permittente providentia, Sacrum hoc Regni Hungariæ ancyle multis fortunæ injuriis, caſibus ac diſcriminibus obnoxium, hoſtiumque poteſtati ſæpe ſubjectum fuiſſe legitur. Quotiescunque igitur Auguſtale hoc Diadema varias fortunæ vires eſt expertum, domicilioque ſuo proprio remotum, extra patrias oleas in peregrinas manus, aut aliud ſummum diſcrimen incidit, toties novo *Fato* obnoxium fuiſſe dicimus. Ejusmodi autem ſingularia S. hujus Coronæ Fata atque Caſus, ſecundum annorum ſeriem, ea qua par eſt diligentia, nunc recenſebimus.

Primum igitur Fatum, cui S. Corona obnoxia fuit, A. C. 1303. contigit, dum exceſſo rebus humanis *Andrea* Rege, Hungaria in duas factiones diviſa, miſere affligeretur, cujus rei cauſſa præcipua erat Pontifex Rom. religionis prætextu ſe immiſcens rebus ad ſe non pertinentibus. Cum enim Bonifacius, Hungaris *Carolum Robertum* Regem obtrudere vellet, ritum hunc novum multi Procerum Hungariæ adeo deteſtati ſunt, ut quantocyus *Venceslaum* Regis Bohemorum filium, ultro evocarent, deductumque Albam Regalem, more ſolenni S. Corona exornarent. Ubi vero ejusdem nominis Pater vereretur, ne filio unice

unice charo, in tanta Procerum diſcordia, quid adverſitatis accideret, magnis cum copiis in Hungariam deſcendit, Filiumque Corona ornatum, inque Campo Rakos prope Peſthum occurrentem, una cum Sacra Corona in Bohemiam abſtulit, Quam elapſo fere biennio, *Ottoni* Bavariæ Duci, Hungariæque Regi electo, grandi eam pecunia expoſcenti, gratuito cum omni regali jure transmiſit (32).

Vix autem *Ottoni* reſtitutum erat Sacrum hoc Diadema, & ecce *altero* eoque portentoſo A. 1306. inſequitur Fato. Poſteaquam enim Otto jam coronatus, oſtentata ubique in capite corona, venerationem tacite per Regni provincias hoſtibus vacuas, venatus eſſet, remotiores nunc etiam partes eo ſplendore ingredi cupiebat, ut autem Coronam tutius ſecum aſportare poſſet, vana prudentia & timore, lagenæ tornatili incluſam, cuidam ex aulicis commiſit, iſte parum ſollicitus aut conſcius de re tam pretioſa intus incluſa, lagenam ſellæ equeſtri alligat, iterque noctu proſequitur, qua ſupina incuria aut negligentia accidit, ut incomparabilis iſte Theſaurus equo decideret atque perderetur. Poſtero vero die illuceſcente, dum Rex cum ſuis lagenam cum corona incluſa deperditam comperirent, ſummo perculſi timore, celeri curſu revertuntur, idque tam felici ſucceſſu, ut coronam, in medio viæ publicæ a nemine vel viſam vel inventam, reperirent (33).

Inventa rurſus Corona, *Otto* in Tranſilvaniam penetravit, ut ſe legitimum Principem, ſua præſentia his etiam incolis oſtentaret. Tranſilvaniæ tunc præerat *Ladislaus* quidam, a quo obſequium facile *Otto* ſperabat, eventu tamen plane contrario. Ille enim ex levi cauſſa offenſus, vel partium Caroli ſectator, Ottoni manus injicit, ereptaque Corona ſolio eum

---

(32) *Vid. Thuroczius in Chron. P. I. Cap. 85. Bonfinius Dec. II. Lib. IX. pag m. 224. ſeq. Ranzanus Epit. Rer. Hung. Ind. XVII. Revva Cent IV. pag. m. 20.* (33) *Thuroczius Loc. cit cap. 88. Revva Loc. cit. Nadanyi in Floro Hung. Lib. II. cap. 24. Bonfinius Loc. cit. p. 225.*

eum deturbat inque vincula conjicit, quibus Otto ſe expedire nequiebat, donec juramento obſtrictus, Regiæ dignitati renunciaret, regnumque deſereret. Quo pacto S. Corona in novum diſcrimen incidit, *tertio* Fato obnoxia, cui usque ad A. 1309. ſubjecta, in manibus Ladislai remanſit, donec eam poſt multa Principum monita, Reipublicæ communique bono reſtitueret (34).

Atque ſic domicilio ſuo reſtituta S. Regni Hungariæ Corona, usque ad A. 1438. fatalibus caſibus & periculis libera extit, ex quo tempore, fœminea fraude atque aſtu peſſimo, novas fortunæ vires experta eſt, dum bis erepta, in manus alienas redacta fuit. Eſt hæc ipſa, quam nominamus, fœmina *Eliſabetha* Regina, *Alberti* Regis uxor, peſſimæ matris peſſima filia. Cum enim Albertus Rex ab Hungaris in Regnum excitus Strigonium veniſſet, ibique Theſaurum regium quantum in ære haberet, recognoviſſet, ipſa Regina Coronam inter recognoſcendum clam ſubripuit, & aniculæ cuidam ex pediſequis occultandam commiſit, relictoque Strigonio celeriter Budam rediit, nemine mortalium de commiſſo hoc furto quicquam reſciente. Perpetrato hoc facinore Regina ſumma cura Diadema occultavit, usque dum exceſſo marito Alberto, filius Ladislaus poſthumus, nondum quadrimeſtris in Regem Hungariæ initiandus eſſet. Tunc enim Eliſabetha ſubtractam Coronam ex latibulis ſuis rurſus profert, ac ad ſolitum locum ſubdole reponit (35). Quo furto & fraude *quarto* Fato Corona S. obnoxia fuit facta.

Peracta A. 1440. Filii Ladislai coronatione, Regina futuri temporis diſcrimina animo quaſi prædivinans, denuo ad aſtum converſa, inſidias S. Coronæ ſtruxit, non irrito certe conatu. Ad arcem quippe Viſſegrad cum Principibus proficiſcitur, eo prætextu, ut Corona Conſervatorio conderetur, loco vero Coro-

(34) *Vid. Auctores allegatos Locis cit.* (35) *Bonfinius Dec. III. Lib. 4. pag. 297. Revva Cent. V. pag. 33. ſeq.*

Coronæ ſuppoſititium quid in arcam, præſtigii ſucceſſu freta recondit, ſubductave gemma, una cum Corona & filio, in Auſtriam ſe ad *Fridericum III.* recepit (36). Quo vero dolo facinus illud fuerit patratum, illuſtris *Revva* (37) ex *Gerardo de Roo* (38) pluribus enarrat, ad quem benevolum Lectorem brevitatis cauſſa remittimus. Permanſit autem hac ratione Neoſtadi Auſtriæ, S. hæc Corona in peregrinis *Friderici Imp.* manibus continuis XXIV. annis, quibus elapſis ſexaginta millium aureorum pretio, per Matthiam Regem redemta rurſus atque recuperata fuit (39).

Vindicata hoc pacto penatibus patriis, per multos Annos ab adverſis caſibus plane fuit libera. Poſt fatalem vero A. 1526. *Ludovici Regis* ad *Mohacs* cladem, variis fortunæ procellis jactata; *Ferdinando* enim Cæſare & *Joanne I.* Regni Hungariæ competitoribus, inter ſe dimicantibus, in eam incidit conditionem, ut pro diverſitate ingenii & factionis eorum, quorum cuſtodiæ & fidei erat concredita, ignaro numine & prodigioſo fato nunc in Turcarum, nunc iterum in Chriſtianorum veniret poteſtatem, donec tandem A. 1572. *Rudolpho* felicibus auſpiciis coronato, ſolenniter rurſus domicilio ſuo reſtitueretur (40). De quibus adverſis fatis, *Joannes Zermegy* (41) & ex eo Illuſtris ſæpeque laudatus *Rewa* (42), pluribus nos edocent.

Nec tamen halcedonia diu agere potuit. Poſteaquam enim labente Seculo XV. novi bellorum tumultus in Hungaria exorirentur, novis etiam S. Corona fortunæ procellis, extra Patriæ terminos in Bohemiam usque jactata eſt, hæſitque Pa-

 tria

(36) *Bonſinius Loc. cit. pag. m. 300. Revva pag. 34.* (37) *Loc. cit.* (38) *Hiſt. Auſtriac. Lib. V. pag. 168. Edit. Hallenſ. 1709. 4.* (39) *Vid. Matthiæ Decret. II. Art. 2. A. 1464. Bonſinius Dec. III. Lib. IX. pag. 386. Revva pag. 42. ſeq.* (40) *Iſthuanſi Hiſt. Hung. Lib. XXV. p. m. 531. Revva Loc. cit. pag. 95.* (41) *In Hiſtoria Rer. geſt. inter Ferdinandum & Joannem Ungariæ Reges.* (42) *Loc. cit. Cent. VI. pag. 73. 85. 90. Conf. Nic. Iſthvanſi Lib. XVI.*

tria extorris in *Rudolphi II.* Imp. manibus, uſque ad A. 1608. quo Rudolphus jus & Coronam Regni Hungariæ Fratri Germano *Matthiæ* reſignabat, reſervatis ſaltem Regnorum titulis (43). Reſtituta hoc modo atque ratione S. Hungariæ Corona, per aliquot annos tranquillam habuit ſedem. Poſtquam hactenus inter penates Auſtriacos, per ſeptuaginta fere annos peregrinata fuerat, ſub nullis Conſervatoribus ordinariis; ſemper enim cum Regibus creandis, ad ipſum ſolennitatis actum veniebat, eoque abſoluto rurſus Regum confirmatorum comes redibat, ita ut ipſos Reges ſolos, usque ad hanc per Rudolphum factam reſtitutionem, S. Coronæ Conſervatores atque Cuſtodes fuiſſe, optimo jure dicere poſſis (44).

Quemadmodum vero ea, quæ hactenus expoſuimus, discrima caſusque fatales, utplurimum factioſorum hominum culpa, S. Hungaricæ Coronæ contigerunt, ſic illud, cui A. 1618. obnoxia facta fuit, fatum cœlitus immiſſum, divinaque ita permittente providentia accidiſſe, merito dixeris. Indixerat ſcilicet hoc anno Cæſar *Matthias II.* in Hungaria ad Civitatem Poſonienſem Generalia Comitia, ut patruelem ſuum *Ferdinandum II.* ſucceſſorem ſibi conſtitueret, ad quæ ubi Regni Ordines confluxiſſent, inque eo erant, ut de Coronationis die deliberarent, ecce, ingens octavo Junii die atque atra exoritur tempeſtas, micantibus quaquaverſum horribili fragore fulminibus, quorum telum igneum turrim atque habitaculum S. Coronæ concuſſit atque accendit, ſuborto tamen ſtatim grandi imbre incendium cito rurſus extinctum (45).

Exorris tandem anno ſubſequenti, novis in Hungaria motibus, inter *Ferdinandum* Imp. atque *Gabrielem Bethlen* Tranſilvaniæ Principem, nec ipſa S. Hungariæ Corona ab adverſis illorum temporum vicibus immunis eſſe potuit. Occupato enim A. 1649. per conventionem a Bethlenio, Poſonio, ipſa etiam

(43) *Revva Cent. VII. pag. 120. ſeqq. Iſthvanſi Lib. XXXVI. Nadanyi Lib. IV. Cap. 16. Berger Loc. cit. pag. 13. ſeq.* (44) *Revva pag. 126.* (45) *Idem pag. 133. ſeq.*

iam Corona una cum reliquis Lipſanis atque inſigniis in ejus manus pervenit, pace vero A. 1622. ſecuta, per Articulum Pacificationis V. Cæſari rurſus fuit reſtituta, inque domicilium conſuetum deducta (46).

Nec tamen diu requietorio ſuo frui potuit. Poſteaquam enim A. Seculi decimi ſexti quadrageſimo quarto, inter *Racoczium* Tranſilvaniæ Principem, Cæſaremque *Ferdinandum*, novum exoriretur bellum, denuo migrare S. Corona coacta fuit. Occupatis enim a Racoczio multis paſſim locis, Poſonioque in diſcrimen redacto, Palatinus Eſzterhaſi fortunæ non ſatis fidens, e re putabat eſſe Coronam cum reliquis Regni Clenodiis A. 1645. Jaurinum majoris ſecuritatis cauſſa deportare. Pacificatione autem eodem hoc anno ſubſecuta, ſequenti Anno & ipſam S. Coronam ſolenniter domicilio ſuo reſtitutam fuiſſe (47) legimus.

Tandem ubi ſub initium ſtatim Regiminis Glorioſiſſimi *Leopoldi*, inter Chriſtianos atque Turcas ad arma rurſus veniret, per aliquot luſtra variis greſſibus errans, varias quoque Fortunæ vices expertum eſt, Sacrum hoc Regni Hungariæ ancyle. Anno quippe ſexageſimo ſecundo, ſupra Milleſimum ſexcenteſimum, majoris ſecuritatis cauſſa Vindobonam transferebatur, biennium vero poſt, rurſus Conſervatorio deductum (48). Deinde cum A. 1683. immanes Chriſtiani nominis hoſtes Turcæ, vaſtata undique Hungaria, ſedem quoque Imperatoris tentarent, Cæſarque ſalutari conſilio, de adventu hoſtium certiſſimis nunciis edoctus, Vienna cum tota Aula ſereniſſima Lincinum, & inde Paſſaviam diſceſſiſſet, Sacra quoque Hungariæ Corona extra Patriæ fines rurſus migrare, hoſtiumque manus effugere eſt coacta. Profligatis vero tandem ac deletis divino auxilio hoſtibus, Anno ſequenti 1684. Viennam rurſus & paullo poſt Poſonium reducta (49).

 Atque

(46) *P. Conr. Han in Erzehlung Hungariſcher Cron Geſchichte pag. 36.* (47) *Vid. Han Loc. cit. pag. 38. ſeq.* (48) *Han Loc. cit. pag. 40.* (49) *Idem Loc. cit. pag. 42.*

Atque ſic emerſa ex tot tantisque adverſæ fortunæ procellis S. Corona, locove requiei ordinario reſtituta, usque ad ſuperiorum annorum motus, exoptata fruita eſt halcedonia. Licet Anno decurrentis hujus ſeculi tertio, in maximum rurſus divina ſic permittente Providentia, diſcrimen inciderit, quando ſcilicet ſuborta Menſis Julii quodam die, ingenti tempeſtate turris illa, in qua S. Corona aſſervari ſolet, igneo fulmine concuſſa, tanto inflammaretur incendio, ut vix tandem reſtingui poſſent flagrantis incendii flammæ (50).

Atque hæc de Corona quoque Regni Hung. pro inſtituto ſufficiant. Cum vero ex ſupra dictis conſtet, hanc quam deſcripſimus Coronam, a Romano Pontifice S. Stephano fuiſſe miſſam, ſoleantque hinc Pontifices Jus aliquod in Regnum hoc prætendere, tunc primum officio me perfunctum eſſe ſentio, ubi illud quoque breviter a me in Quæſtionem vocatum fuerit. Sit itaque

CAPVT VI.

DE IVRE ET PRAETENSIONIBVS PONTIFICIS ROMANI, IN REGNVM HVNGARIAE.

CVm primum ſpeciali S. Coronæ Hung. deſcriptioni manum appellerem, inter alia illud etiam negotii mihi datum eſſe credidi, ut Jus illud, quod Pontifices Romani, ob datam a *Sylveſtro* II. Sancto Regi *Stephano* Coronam, in hoc Regnum prætendunt, pleniori cura in examen revocarem. Ubi vero liberiori curſu, in aliarum quoque Coronarum campos evagarer, temporis anguſtiis in anguſtias redactus, mutare ſententiam, reique tantum capita adjicere fui coactus, pleniorem hujus materiæ diſquiſitionem, in aliud tempus procraſtinando.

Fundamenta autem præcipua, quibus Jus illud Pontificium in Hungariæ Regnum innititur, ſequentia ſunt:

I. As-

(50) *Vid. Chriſtoph. Andr. Brunneri Fatum Theol. Hiſt. in addendis p.31.*

I. Aſſeritur, *Stephanum Regem, qui primus Hungariæ Rex Chriſtianus fuit, ſe ac Regnicolas ſuos tanquam ſubditos B. Petro obtuliſſe, cum omni Jure & poteſtate, quando Regis Hungariæ nomen ac Coronam a Sylveſtro II. impetravit, ut hoc refert Sylveſter II. in Epiſt. ad S. Stephanum apud Inchoferum in Annal. Eccl. Regni Hung. pag. 256. poſtque hunc Gregorius VII. in Epiſt. ad Geizam Regem ap. Baronium in Annal. ad A. 1000. Num. 20. & ad A. 1074. Num. 81.*

II. Alterum Argumentum idem *Gregorius* deducit *ab Eccleſia univerſali herede Romani Imperii, & Petri univerſali in Regna omnia principatu.*

III. Idem Gregorius dato loco urget, *quod Henricus III. Imp. regnum hoc expugnans, ad corpus Petri lanceam Coronamque transmiſerit, & pro gloria Triumphi ſui illuc Regni direxerit inſignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognoverat.* Vid. *Auguſt. Steuchus Lib. II. contra Laur. Vallam de Falſa Donatione Conſtantini.*

IV. Argumentum fundatur *in teſtimonio Martæ de Jurisd. Part. I. cap. 29. Num. 49. qui aſſerit, ſe in regiſterio Vaticani de A. 1229. vidiſſe, ubi Lancellotus Rex Hung. obedientiam Papæ promittit.*

V. Petitur ex eo, *quod Ludovicus* III., *Rex ob inobedientiam in Legatum* Pontificis *Romani, excommunicatus fuerit, proque abſolutione A. 1280. promiſerit, ſingulis annis centum marcas argenti Pontifici ſe perſoluturum.* Vid. *Bodinus de Repub. Lib. I. cap. 9.*

Denique VI. dicitur ex eo etiam Pontifici natum fuiſſe Jus in Regnum Hung. *quod factio una circa A. 1289. adverſus Andream Venetum, a Bonifacio VIII. petierit Regem ad ſe mittendum Carolum Robertum adhuc puerum, apud Thuroczium Part.* I. *cap. 82. ſeq. Ranzanum Ind. 17. unde & Papæ Legatus, diras in Regni Nobiles Carolo adverſos fulminaverit.*

Hæc ſunt ſpetioſa argumenta Prætenſionis Pontificiæ in Regnum Hungariæ, quam lubrico vero ſingula ea nitantur talo, breviter jam, ſuo vero tempore prolixius, oſtendemus.

Et quidem quod ad *primum* attinet, ad illud reſpondemus *in genere*, Annales Hungaricos de Oblatione dicta, ne verbulo quidem mentionem facere, nihil enim de ea refert *Chartuitius in Vita S. Stephani*, nihil etiam *Decreta* S. Stephani aliorumque Regum habent aut proferunt, quin hoc potius *Chartuitius d. l.* de S. Stephano pro certo refert, *ſe ſuumque Regnum in poteſtatem & perpetuum Patrocinium caſtiſſimæ Virginis Mariæ addixiſſe*, Petro Apoſtolo non item. In cujus ſingularis erga Deiparam cultus memoriam, Hungaria ſuos nummos in hunc usque diem imagine Virginis Mariæ ſignat, addita hac inſcriptione: *Patrona Hungariæ.* Vid. *Berneggerus in Not. Hung.* Part. *I.* §. *324. Conringius de Fin.* Imp. *Lib.* I. *cap. 17.* §. 18. *In ſpecie* vero falſitas hujus argumenti ex eo apparet, quod Stephanus jam ante acceptam a Sylveſtro Coronam, in Regem fuerit conſtitutus confirmatusque a Deo atque populo, atque ſic obtinebat jamdum a Deo Regnum, non demum a Pontifice impetrandum, quemadmodum id legere eſt apud dictum jam *Chartuitium.* Igitur quod jam Stephani fuit, id amplius ſuum fieri non potuit, ex §. *10.* I*nſtit. de Legat.* & §. *14. de Action.* Imo nec ipſe Pontifex illud potuit accipere, quod enim dari nequit id neque accipi poteſt, S. autem Stephanus pro miſſa Corona offerre Regnum Pontifici *nec potuit, nec debuit. Non potuit* ex ea ratione, quia ipſe non habuit, nemo autem plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe habet ex L. 54. de R. I. jam vero conſtat ex Vita ejus per *Chartuitium* deſcripta, Stephanum *Commendatione* Patris, *favore*que Principum & Plebis Hungarici in ſolium Patris fuiſſe profectum. Jure autem *nec debuit*, poſteaquam enim Hungari ad fidem catholicam ſunt converſi, & Regem *ſponte* ſibi ipſis elegerunt, tam condendæ legis, quam etiam cujuslibet poſſeſſonariæ collationis, atque omnis judiciariæ poteſtatis facultas, in jurisdictionem Sacræ Regni hujus Coronæ, & ſubſequenter Principem ac Regem legitime conſtitutum, ſimul cum imperio & regimine translata eſt, ut liquido hoc patet ex *Jure Conſuetud. Hung.* Part. I. *Tit.* 3.

Acce-

Accedit aliud *Juris Conſuetud.* Part. I. *Tit.* II. teſtimonium quod ita ſonat: *Sciendum autem, quod licet Papa ſeu ſummus Pontifex, utramque jurisdictionem temporalem ſcilicet, & ſpiritualem habeat, in collationibus tamen beneficiorum Eccleſiaſticorum pro tempore vacantium IN HOC REGNO, ſummus ille Pontifex* nullam jurisdictionem *exequitur, præter confirmationis auctoritatem. Et hoc quadruplici ratione,* primo *ratione benedictionis Eccleſiarum,* ſecundo *ratione ſuſceptæ Chriſtianitatis,* tertio *ratione legitimæ præſcriptionis, &* quarto *quia iſta libertas Regni in generali ac celebri Concilio Conſtantienſi, corroborata, Jurisque jurandi religione firmata fuit.* Hinc ponderoſa illa in actis Vaticanis extans interceſſio Principum Hungariæ adverſus Pontif. Romani Legatum A. MCCC VIII. qui cum diceret, Stephanum I. Regem a Pontifice Rom. Coronam accepiſſe, acerrime reſtiterunt, neque id Romano Pontifici jus esſe denuntiarunt. Vid. *Bodinus* Loc. cit.

Quod ſi vero quis ex eo, quod *Chartuitius* Loc. cit. dicit: Stephanum petiiſſe Coronam, argumentari velit, nihil certe colliget. Factum enim id eſt, non ut Majeſtatem, qua jamdum pollebat, ſibi acquireret, ſed ut Pontifici pro more ejus ſeculi, tanquam Capiti Eccceleſiæ, reverentiam exhiberet, benedictionem ejus adipiſcerur, judicioque Pontificis dignus æſtimaretur, qui regnaret. Approbatio itaque potius honorifica & benevola, quam collatio Regni hinc apparet, intelligitur etiam ſimul quæſitum arctioris ſocietatis Chriſtianæ vinculum, unde nec ullæ conditiones Stephano præſcriptæ, ſed muneris inſtar miſſa per Legatum crux & Corona. Cui præſtitæ a Pontifice benevolentiæ, ſi Stephanus quid repoſuit, cultus id fuit, quo Eccleſia illorum temporum Pontificem proſequi ſolebat, de vera autem ſubjectione temporali, & ejus, quos Pontifices prætendunt, effectibus, nihil omnino apud rerum Hungaricarum conditores. Literæ vero illæ, quas *Inchoferus* & *Baronius* Loc. cit. adducunt, domeſtica ſunt teſtimo-

monia, nec ullius hac in re valoris aut argumenti, dicunt equidem multa, ſed quam parum probent, rectius edocti facile vident.

Alterum quod additur Argumentum, admodum generale eſt,& fundatur in arrogata Pontificis Rom. Poteſtate in omnia Regna Europæ, cum vero idipſum a Noſtris pariter & Pontificiis jam olim fuerit profligatum, nomina ſaltim atque Tractatus eorum, qui argumentum hoc ex inſtituto pertractarunt, nominaſſe hic ſufficiat. Tales vero ſunt ſequentes: *Franciſcus Hottomannus in Fulmine Bruto Sixti V. in Henricum Navarræ Regem. Marcus Anton. Marcellus de Jure Seculari Pontif.* Romani, qui cum Anonymi cujusdam Galli diſcurſu, contra Elationem & Poteſtatem temporalem Papæ prodiit Francofurti 1627. 4. *Guil. Barclajus de Poteſtate Papæ* Hanov. 1612. 8. *Henningus Arniſæus de Poteſtate Temporali Pontificis in Principes* Argentor. 1635. 4. *Hincmarus de Poteſtate Regia & Pontificia. Jo. Pet. Ludovicus de Auſpicio Regum Cap.* IV. Speciatim vero quoad Jus in Regnum Hungariæ *Berneggerus Loc. cit. Part.* I. §. *294. ſeqq.* Quibus addi quoque poſſunt illi Scriptores, qui Jura Imperatorum in Papam defenderunt, quos *Simon Schardius* in Syntagmate ſuo collegit Argentorati 1609. fol. *Melchior Goldaſtus in Apologia pro Henrico* IV. *& in Monarchia ſua S.* R. *Imperii* Francof. 1621. fol. Conf. *Struvius in Diſſ. de* Jure *Imperii in Ducatum Parmenſem &* P*lacentinum* Jenæ 1711. 4.

Ad *Tertium* reſpondet *Conringius de Fin. Imp. Cap. XVII.* §. *18.* ſequentem in modum, Henricum III. Cæſarem Ovone devicto lanceam ejus & Coronam: pio affectu Romam miſiſſe non negaverim: at illum judicaſſe Hungariæ Regnum Papis deberi, hoc profecto omni illi repugnat, quod jam oſtendimus de Hungaria a Cæſare iſto in Provinciam redacta. Commenta hæc ſunt hominis, qui hoc ſolum ſibi negotii credebat datum, ut Imperium Germanorum everteret, ſibi autem ſuisque poſteris ſucceſſoribus, dominatum aliquem divinum in omnem

mnem mundum compararet: qualia proinde de omnibus pene regnis finxit plurima ſine rubore.

Quarti Argumenti ratio nititur teſtimonio *Martæ* aperte falſo, quis enim quæſo unquam vel fando audivit, circa A. 1229. *Lancellotum* quendam Regni Hungarici clavum atque Majeſtatem tenuiſſe? quo tempore *Andream* II. Hungaris præfuisſe, omnes atque ſinguli Rerum Hungaricarum Scriptores communi affirmant conſenſu. Accedit quod in tota Regum Hungarorum ſerie, nullus certe deprehendatur, qui *Lancelloti* nomine fuerit inſignitus, ex quo *Martæ* falſa aſſertio ſole meridiano clarius elucet. Quadrat igitur huc Canon, quo Logici ita ſubſumunt: *Si id non ineſt, quod magis ineſſe videtur, nec illud inerit, quod minus ineſſe videtur.*

Quintum quod ordine ſequitur argumentum, eadem qua proxime antecedens falſitate nititur; conſtat enim ex Annalibus Rerum Hung. clariſſime, circa A. 1280. non *Ludovicum II.* [is enim A. 1516. Rex creatus] ſed *Ladislaum IV.* qui nonnullis III. dicitur, Regni Hungarici habenas tenuiſſe. Vid. *Bonfinius Dec.* II. *Lib.* IX. *Rewa Cent IV. pag.* 17. *Bakſchay in Chronol. Regum Hung.* Quod ſi autem idem Ladislaus hic intelligatur, quaſi error in nomine commiſſus foret, equidem apud *Ranzanum Ind. XVI.* & *Bonfinium* d. l. ob infamem vitam excommunicatum fuiſſe legimus, de ſolutione vero 100. marcarum pro abſolutione, altum apud omnes ſilentium. Imo ipſe *Thuroczius in Chron.* P. III. *cap. 80.* expreſſis teſtatur verbis, Legatum Pontificis nihil plane in Rege proficientem in Italiam repatriaſſe.

Ultimum denique argumentum quod attinet, concedimus quidem, quod nonnulli proceres *Carolum* per legatos ſuos a Pontifice petierint, aſt factum id fuiſſe a *factioſis* & *conjuratis* quibusdam, uno ore omnes loquuntur rerum noſtrarum Hiſtorici. Quare cum Bonifacius Regem *Carolum Robertum* obtruderet, rebusque ad ſe non pertinentibus immiſceret, pleriſque Proceribus adeo vehementer hic ritus novus, ratum habendi

Gg

bendi quicquid Rom. Pontifex etiam in ipſo Rege declarando conſtitueret, diſplicebat, ut Presbyteri Hungarici ſummum Pontificem, cum ceteris ei adhærentibus Ungariæ Antiſtitibus, non modo ſacris, verum etiam aqua & igni publice interdicerent, quod creandi Regis poteſtatem, quam olim nunquam amiſerint, nunc Pontificem eripere velle conſpicarentur. Unde factum quoque eſt, ut Legati ejus nihil efficere valentes ad propria redire cogerentur. Vid. *Thuroczius Loc. cit.* Part. II. *cap. 84. ſeq.* R*anzanus* Ind. 17. *Bonfin. Dec.* II. *Lib.* IX. *p. m.* 225. Re*wa Cent.* IV. *p.* 19.

Atque ſic depulſa Pontificis auctoritate, Hungaria aut ſuo arbitratu, aut ex Regni Legibus, non vero Papæo præſcripto, Reges ad hunc usque diem accipit ſuos, Jure a Majoribus accepto, adque poſteros auxiliante Gratia Divina, felici ſucceſſu transmittendo.

F I N I S.

INDEX

INDEX.

A.

Adulteri lana coronati p. 71
Ægyptiorum Regum Diademata. 140. 151
Agones capitolini 95. ſeq.
Alexandri M. Capitis Inſigne 141 157. defuncti corpus aurea ornatum Corona 46
Alvei quibus res ſacræ vehebantur coronati. 67
Amatoriæ Coronæ. 30. Veneri Sacrae. 31. Nuptiarum anteambulones. 28
Amerina ſalice convivantes coronati. 17
Americæ Regum Diademata 163
Ammonitarum Regis Corona. 144
Anglici Regni Coronæ 171
Anni quatuor tempora coronata. 64.
Apium Corona mentum Nemeum. 108. Iſthmicum. 109. ſeq. ſepulchrorum. 50
Apollinis Corona ex lauru. 59
Aræ coronatæ. 60
Armeniæ Regum Diadema. 142
Artes Liberales coronatæ. 88
Arundo coronamentum convivantium. 17
Aſini qui ſacra vehebant coronati. 67
Aſſyriæ Regum Diademata. 142
Athletarum Coronæ. 104
Aviculæ coronis alligatæ. 22
Avtocabdali Poetæ qui? 91
Auſtriæ Archiducum Pileus. 485

B.

Babyloniarum mulierum corollæ & mos fœdus. 63
Bacchantes coronati. 11. 18. ſeq.
Bacchus coronatus 12. inventor vini. 20
Baccho ſacrificantes hæderati. 58
Bellicæ coronæ v. Militares.
Bohemica Corona. 182
Boruſſiæ Regis Diadema 183
Buſta coronata. 49
Byzantinorum Imp. Diademata 156. 166.

C.

Cadavera mortuorum coronata 44
Calices & Crateres coronati 24. 67
Caliptra Balduini Imp. 161
Capitis humani digintas 137. capiti coronæ adaptatæ. 18. ſeq.
Caroli M. Diadema. 171. ſeq.
Caſtrenſis Corona. 116
Cereris coronamentum 58. ſeq.
Certamina Græciæ quatuor 104. ſeq.

Chriſti

Chriſti Corona ſpinea. 74.ſeq.
Chriſtiani veteres a coronis abhorruerunt. 25.47.
Cidaris Perſarum. 147
Ciſtæ coronatæ. 67
Citharoedi coronari. 69
Civica Corona. 114.ſeq.
Claſſica Corona v. Navalis.
Clemens Alexandrinus coronas inſectatur. 48
Clericorum corona. 4. 84.ſeq.
Collares coronæ. 23
Conſilii boni corona. 87
Conviviorum diverſa ap. veteres genera 8. Scriptores de iisdem 27. Mos exhibendi in conviviis coronas. 11. In conviviis coronæ natæ & auctæ ibid. Diverſa convivialium coronarum genera 17. ſeq. Numinibus dicatæ. 25
Conſtantinopolitanorum Imp. Diadema. 165. 166
Cornu Ducis Venetorum 188
Corona. Varii hujus vocis ſignificàtus. 1. Synonyma. 4. Definitio. 4. Primus earum auctor. 5. ſeq.

D.

Daniæ Regis Diadema. 180
Davidis Corona. 145. ſeq.
Defuncti coronati. 44. & quicquid defuncto charum. 54
Diadema unde dictum 139. Coronæ & Diadematis unus idemque ſignificatus. 135
Diana coronata. 64
Dii Domeſtici coronati. 35
coronæ Doctrinæ. 88
Domus Nuptiales coronatæ. 34

E.

Ebræorum Pontificis Mitra. 191.ſq.
Ebrii coronantur. 10. ſeq. ſignum ebrietatis. 11
Electoralis Pileus. 186
Eloquentia coronata. 88
Equi qui ſacra vehebant, coronati.
Exequiales Coronæ. 43
Exercitus coronatus. 123
Exploratoriæ Coronæ. 124

F.

Facundia coronata 88
Fercula coronata. 24
Feſtæ Coronæ. 41
Folia in Coronis ex auro & argento. 21. 33. 105. ſeq.
Fores amicarum coronatæ. 30. in Nuptiis 34. Puerperarum. 40. Foribus ſuſpendere quid ſignificet. 41
Fortitudinis Corona. 87
Frons coronata. 23
Funereæ Coronæ. v. Exequiales. Funus proſequentes coronati. 55

G.

Gallorum Regis Corona. 177. ſeq.
Germanica Corona. 170. ſeq.
Graminea Corona vide Obſidionalis.
Græciæ Certamina Gymnica. 104

H.

Hedera refrigerat. 19. Coronamentum Bacchi. 20. ſignum vini ven-

vendibilis. ibid. Corona Bacchantium. 19. Poetarum. 90
Herculis Coronamentum. 58. Qui Herculi ſacrificabant erant laureati. ibid.
Hetruriæ Ducis Corona. 187. ſeq.
Hiſtriones coronati. 96
Honoris Coronæ. 67
Hungarica Corona. 176. 205. An Hungariæ Regnum ſit feudum Pontificis Rom. 226. ſeq.
Huſſi Corona papyracea. 72
Hybernæ Coronæ in Conviviis. 21
Hymenæus coronatus. 35
Hypothimides Coronæ. 23

I.

mos Jaciendi flores & Coronas ante fores amicarum. 30. in ſepulchra. 40
Januæ Coronis ornatæ amicarum. 30. domus nuprialis. 34
Imperiale Diadema. 171. ſeq.
Imperator tribus olim Coronis coronatus. 168
Indorum Regum Capitis Inſignia. 150
Infamiæ Coronæ. 71
Infula Archiepiſcoporum. 202
Inſignia Regiæ dignitatis varia. 136. ſeq.
Inſignis laurea quid? 128
Iſthmica Corona. 109
Inumbrare ora Coronis. 23
Judæorum Regum Diademata. 143. ſeq.
Junonis Corona. 58. 64
Jupiter coronatus. 53

L.

Lac coronatum. 67
Lamina Diadematis. 155. ſeq.
Laneæ Coronæ. 50. 71. Nova nupta coronabat viri januam lana. 50
Lapidea ſedes coronata. 54
Lares coronati. 35
Laſcivæ Coronæ vid. Amatoriæ.
Laurus coronamentum defunctorum. 46. 49. Poetarum. 92. ſeq. Triumphantium. 128. ſq.
Lemniſcata Corona. 96
Liber primus coronatus. 5
Liberalitatis Corona. 87
Lombardica Corona. 173
Lucinæ Coronamentum. 64
Ludi vid. Certamina.
Luſitanica Corona. 179

M.

Macedoniæ Regum Diademata. 141
Majeſtatis Regiæ Inſignia. 136
Mariæ Lauretanæ Corona. 69
Mercurius coronatus. 64
Meretricum Coronæ. 29. Coronis Venerem ſibi propitiabant. 62
Militares Coronæ quæ? 113
Milites victores coronati 122
Mitra Pontificis Ebræorum vid. Pontifex.
Mortui coronati v. Defuncti.
Moſcorum Ducis Corona. 184
Moſes Diadema pedibus calcat. 140
Mulieres in Ludis coronas merebant. 98. Poetriæ. ibid.

Muralis Corona. 118
Muſæ coronatæ. 64

N.

Navalis Corona. 120
Naves quæ ſacra vehebant coronatæ. 67
Nemei ludi & corona. 108
Nuptiales Coronæ. 32. earum ſignificatus. 39

O.

Obſidionalis Corona. 124
Oleagina Corona. 104
Olympicæ Coronæ. ibid.
Oratores coronati. 89
Ovalis Corona. 128

P.

ex Palma Corona. 91
Pandora coronata. 5
Parthorum Regum Capitis inſigne. 150
Pectori Coronæ applicatæ. 23
corona e Pennis. 92. 163
Perſica Tiara. 147. ſeq.
Pileus Cardinalitius. 200. Electoralis. 186. Ducis Genuenſium. 189
Polonica Corona. 181
Pontificis Ebræorum Corona. 190. ſeq. Romani triplex. 195. ſeq.
Proſtibulorum Corona. 29
Pythici ludi eorumque Corona. 107

Q.

Quercea Corona v. Civica.

R.

Radiata Corona. 153
Refrigerans Corona. 18
Remedium primarum Coronarum. 10. ſeq.
Reges mortui qua Corona ornati? 47
Regiæ Coronæ. 134. ſeq.
Regius habitus & cultus. 136
Romani Principes quibus Coronis uſi. 152
Roſea Corona. 21. Sub Roſa dictum quid ſignificet? 30
Ruſticorum Corona. 18

S.

Sacerdotes coronati. 57
Sacræ Coronæ. 56
Sacrificantes coronati. 58
Saturnus primus coronatus. 5
Satyri coronati 64
Sepulchra coronata. 49. floribus conſperſa. 51
Simulacra numinum coronata. 62
Sinenſium Pileus Regalis. 162
Socratis militare facinus. 133
Spicea Corona. 32 58
Spinea Corona Chriſti. 73. ſeq.
Sponſi & Sponſæ coronati. 32
Statuæ coronatæ. 62
Stemma quid? 156
Suedica Corona. 181
Syriæ Regum Diademata. 141

T.

Temperantiæ Corona. 87
Templa coronata. 63. ſeq.
Thalamus coronatus. 34
Tiara Lunata. 148. cum Diademate. 150

Tor-

Torques aurei dona militaria, 112
Triumphales Coronæ. 128. ſeq.
Turbant Turcarum Sultani. 149. ſeq. Perſarum. 161

V.


Vaſa ſacra coronata. 67
Veneris Corona. 62. Veneres quatuor. ibid.
Venetorum Ducis Cornu. 188
Victimæ coronatæ. 66
Victrices Coronæ. 122
Virginales Coronæ. 28. Virginitatis ſignum. ibid.
Virtutis Coronæ. 86
Vitia coronata. 71
Vnguenta Coronis addita. 11. 21
Vrnæ coronatæ. 54
Vxor unde ſic dicta. 80

Z.

Zaarovvitzio coronamentum oblatum. 70.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 1. lin. 16. lege *ſimilitudine.* pag. 6. lin. 25. lege *inventa.* ibid. in allegatis lin. 2. lege *Joh. Gerh. Voſſius*, *Gerh. Joh. Voſſii Filius de Idololatria ſive Theol. Gentili.* pag. 5. lin. 11. lege *Convivii*, ibid. in allegat. lin. 2. lege *Diſſertatione.* pag 16. lin. 17. lege *Conviviis.* pag. 23. lin. 18. lege *nocent.* pag. 207. in alleg. lin. 1. lege *de S. Stephano ſive Chartuitius* &c.



Special 91-B
4148